




GALENI.
1534











PERIOCHE

SEPTEM LIBRORVM primorum Methodi Galeni, cum quibusdam tum ab eodē, tum alijs authoribus traductis (vt vocant) receptionibus, per Antonium de Mery Medicum.

PARISIIS
Apud Simonem Colinæum
1534

ANTONIVS
DE MERY VIMACVS
Roderico Ferdinãdo ab Al-
mãda, Regis Lusitaniæ fide-
liss. in Gallias legato, S. P. D.



Vm nuper cogitarẽ hanc nostram in se-ptẽ Galeni Metho-di priores commen-tarios periochen ty-pis mandare, subijt mihi in men tem honestissimũ esse viros bo-narum artium patronos monu-mentis literarijs vicissim coho-nestare. Quapropter Roderice prudentiss. quũ iam à multis an-nis nobis cõstiterit quâm huma-niter ad te velut sturnatim (dũ ob grauem egestatem patriã re-peterent) conuolantes discipli-narum meliorum studiosos ex-

ceperis, eósque tuis opibus onu-
ſtos Luteciã ad illuſtrandas ſuo-
rum ingeniorum dotes remiſe-
ris: profectò optimum fore ſpe-
rauimus ſi tuæ integrę fidei hos
noſtros labores conſecraremus.
Cuinam mortalium quæſo, aut
melius aut fidelius hoc ipſum cõ
mittere poſſum, quàm cui rex
Luſitanorũ ãpliſſimus tot opes,
tot in Antuerpiam nauigia pro-
pter viri egregiã probitatem cõ-
credidit? Cuius ſanè in rebus ge-
rendis mirabilem ſagacémque in-
duſtriam cum intellexiſſet, ecce
ſecretiora, & quæ non niſi viro
magni ingenij cõmittuntur, de-
mandat, legatúmque ad Chriſtia-
niſſ. Galliarum Regem inſtitu-
it: in qua re profectò ea & fide
& prudentia ſe gerit, vt etiã ex-
teris nationibus admirationi, Re

gi autem ſuo ac Luſitanæ genti ſummo ſit ornamento. Quid? nõne anteaquam ex Antuerpia ad Gallos legatũ te recepiſſes, iam penè Gallia totáque Luſitania acri & hoſtili bello ob inſignes vtrinque deprædationes fremebat? quod tua ſingulari prudentia extinxiſti, & principum animos ita compoſuiſti, vt quanto res turbulẽtior erat, eò ſanè (magno quidem vtriuſque gentis rei publicæ commodo) pacatior, & quietior nunc compoſita perſiſtat. O admirabilem & nunquam ſatis commendatum virum: qui, quod ferrum non poteſt, ſua ſedula cura mirandáque ſolertia effecit. Vnde nunc profecto omnia lætiora conſpiciuntur. Antea ſanè vix tuto nauigabatur, aut ſecurus in Hiſpaniam

Galliā've patebat acceſſus. Ad-
de multorum præclara ingenia
per totam Luſitaniam ſegniter
torpeſcentia, quę, poſtquam om
nem tumultum adeo bene com
poſuiſti, Rex ille veſter literato-
rum amantiſſimus, in hanc no-
ſtram academiam donis plane
regijs excolenda traduxit, eíſque
Iacobum Goueanum doctorem
Theologum ob eius fidei inte-
gritatem iamdudum comproba
tam pręfecit. Quare legatorum
vigilātiſſime fruere nūc iſto tuo
bono, & gaude tua prudenti in-
duſtria edomitū horrendum bel
lum, tuóſque Luſitanos hic ſan-
ctiores diſciplinas capeſſere. Ac-
cipe etiam rogo quas nunc labo
rum noſtrorū primitias tibi de-
uouemus. Scio enim te vno pa-
trono nomē meum nil vnquam

periculi admissurum, quod & optamus, & animo toto cupimus. Vale Luteciæ ex ædibus Barbaranis. Anno supra sesquimillesimum trigesimoquarto: nostri verò Rectoratus Parisiensis mense tertio.

Ad Lectorem.

Vt nullum logicæ Chrysippi sufficit æuum:
Sic medicinæ operi docte Galene tuo.
Ergo, tuis si nos studijs succurrimus, hocce
Quodcũq; ædidimus perlege lector opus.

PERIOCHE
PRIMI COMMENTARII Therapeutices Galeni.

Quare in Thessalum inuectus sit Galenus.



Olent bonarũ artium professores statim ab initio reddere suorum laborum rationem, ne parum accuratè (quod nostræ ætatis quãplurimi factitant) sua depromere concepta videãtur: tum prodigiosa nõnullorum sensa, quæ frequẽter studiosos remorãtur, deputare, ne quid docendo intercidat, quod tradẽdæ disciplinæ obsistere possit. Cuius sanè industriæ artifex præcipuus Galenus primo animorum labem deterget, quò sibi purũ & vni veritati studiose addictũ (aliorũ vitijs exaggeratis) auditorem instituat, ne vulgatæ laudis, aut inexplebilis diuitiarũ cupiditas (qua nil bonarum disciplinarũ ama- Diuitiarũ cupiditas

toribus magis est aduersarium) oblu
ctetur, dum præcepta sanctissimè tra
dũtur. Atq; ita demum inuehitur in
humanorũ corruptos mores, quòd
neglectis dialectice, rhetorice, musi-
ce, astronomia, medicina, omnibus
deniq; politioribus disciplinis, volu-
ptatibus, auróq; solum inseruiretur.
Vnde quando intellexisset Thessalũ
methodicum quotidie salutando ac
turpiter blandiendo summatibus in-
gentem sibi discipulorũ turbam ac-
ciuisse: dúmq; polliceretur sese bre-
uissimo tẽporis momento, vel etiam
semestri artem totam medicam tra-
diturum, cœpit acriter in eum inue-
hi: ea tamen seruata dicendi grauita
te & facundia, vt non facile iudices
vtra in eo preluxerit, oratoria an me-
dicina. ansam autem sibi arripuit op
portunam dicẽdi in eum, quòd & in
syncreticis, & ad Neronem petulan-
ter scripsisset Hippoc. noxia ac futi-
lia plerũq; tradidisse præcepta, vt si-
mul insinuaret non oportere medicũ
naturæ hominis cognitionem habe-
re: cũ tamen etiam testante Platone

Cur in Thessalũ est inuectus Galenus.

nihil de re medica dici, nec morbus vllus cõmode curari possit citra eius exactam agnitionem. Sed mirum videri non debet, si hoc, velut pleraq; alia optime dicta, sit calũniatus, qui se ipso agonotheta omnium mortalium primum se fore impudenter iactando forte fortuna hoc epicheremate recte collegit: Si omnium artiũ medicina est præstãtissima, inter cæteros autẽ in ea vnus eminet Thessalus, vtiq; & hic omnes reliquarum disciplinarũ summos heroas vincit. cuius sanè rei oppositum prima eius hypothesis statim indicat, qua duas in totum esse morborum species, fluxum, & clausum temere cõtendit: cũ non morbi, sed morborum differentiæ potius essent dicẽdæ, vt longa oratione Galenus logicísque demonstrat theorematis.

Thessali superbia.

Methodus dicendorum in his commentarijs.

PRocedente dictione relictis aliquantisper Thessalijs methodo inuenire & inquirere quidpiam, esse contrariũ ei quod temere & fortuna

Quid est Methodo inuenire. reperitur, docet. Est enim illud cum via quadã & ordine, ita vt in disquisitione aliquid primũ sit, aliquid secũdum, tertium & quartum, atq; ita de reliquis deinceps, quoad demum ad idipsum quod ab initio erat pro-

Huius operis propositum. positum peruentum sit. Quare cum huius curatricis methodi institutum sit omnium morborum curationem inuenire, ac ægra corpora in sanitatẽ vindicare, naturaléscq; partium actiones, si quæ vitiatæ sunt, corrigere, inuento est opus quid primum, secundum, tertium, quartúmve sit, donec ad affectum cui succurrere paramus sit peruentum: quod sane commode

Methodus ad morborũ curationem fiet, si morborum omnium numerũ & differentias perquisierit naturalis medicus. quæ sane (veluti nec alîus generis quicquã) inuenire nemo potest ipso quod diuiditur diligẽti examine prius non explorato. Quapropter ab ipsius rei essentia monitore Platone exordiendũ est, quærẽdúmque quid sit morbus, quidve sanitas,

Morbus & sanitas definitur. ac tandẽ ad eius species & differentias accedendum. Morbus itaque est

cum totius corporis, aut quarũdam partium eius actio aut læditur, aut perit. Sanitas vero eſt cum omnes partes inculpate ſuas ædũt actiones. Id autem facile intelligitur vnius actionis oculorum exemplo, quod in hunc modum habet: Viſio eſt oculi actio: oculus autem inſtrumentum quod partes cõponunt ſimilares (inſtrumentum enim eſt pars animalis perfectã ædens actionem, vt oculus) Cryſtallinus humor præcipuũ eſt viſionis organũ, quod à colore extrinſeco prius alterari debet: alterari autẽ non poſſet, niſi purus perſpicuúſque foret: ſed talis eſſe nequit, ſine quod nunc habet tẽperamento. nam vnumquodq; tale eſt quale eſt, propter calidi, frigidi, humidi, ſicciq; tẽperiem: quæ dum mutatur, noxa eſt actionis. cuius cauſſa rurſus perueſtiganda eſt, vt ea demum inuenta facile ſeſe curatio inſinuet: illa autem nihil eſt quàm morbus, ſeu actionẽ naturalẽ lædens affectus, cui vni curando dedicata eſt hæc de methodo diſceptatio.

Exemplũ oculi.

Cõtra Thessalum & Olympicum, sanitatem & morbum male definientes.

CVm itaq; iam sit demõstratũ in perquirendis morborum & numero & differentijs, prius esse incipiendũ ab ipsius quod quęritur essentia, colligendũ est Thessalũ & Olympicũ nõ potuisse vlla methodo species aut numerum morborũ colligere, vt qui statim in portu impegerint, dum sanitatem aut morbũ definire adstudentes quid esset plane vtrunq; non intellexerunt. Nam ille sanitatẽ & morbũ sub diuerso genere constituit, cuius sectatores actionem firmam sanitatẽ, morbum autem non actionis læsionem & infirmitatem, sed corporis certum affectum esse defenderunt: quorum dementiã omnes vel etiam idiotæ protinus intelligunt: vt qui plane sciant

Cõtraria quæ sunt.

hæc inter se esse contraria, quæ sub eodem genere (dummodo ipsa genera nõ sint) Aristoteles locauit. Olympicus autem sanitatem definiuit affectũ, qui sit morbi absentia: morbum

vero mutationẽ à naturali, ĩ id quod præter naturã ſit, ſtabilẽ. Cui⁹ itẽ error ſimiliter atq; in aliis deprehẽditur, vel morb⁹ erit quoq; affect⁹ corporis in abſentia ſanitatis: quod rurſus abſurdum erit, cum vtrinq; non quid ſit id quod quæritur, ſed quid non ſit, doceatur. quare ſi quis medẽdi finem ſit vnq̃ aſſecuturus, hortamur vt primum illud in arte velut elementũ, ideſt, quid ſanitas quidve morbus ſit, diligẽter examinet: quorũ vtrunq;, affectus eſt & cauſſa: hic culpatæ, illa vero integræ actionis.

Quatuor eſſe in hac methodo ordine conſtituenda.

QVia igitur iam palam factũ eſt quàm à ſcopo aberrent, dum curare ſperant methodo iſti Theſſalij; nunc tempeſtiuũ eſt docere, quatuor eſſe in hac diſputatiõe quæ pro Cauſſa, af xime inter ſeſe habeãtur. Primũ ſa fectus, a ne omniũ eſt corporis affect⁹, vnde ctio, ſym actiones prodeunt, integræ quidem ptoma, dum ille eſt naturalis: ſi vero præter ordine ſe naturam fuerit, nullas aut plane vi habent. tiatas progignit. Secundum itaque

horum eſt actio, quæ eſt affectuũ ſo-
boles. Tertium ab hoc eſt cauſſarum
genus quæ affectus rurſum à quibus
prodibant actiones generant. Nam
quam rationem habent affectus ad
actionem, hanc habet cauſſa ad affe-
ctum: eo tamen diſcrimine, quòd af-
fectus cũ actione neceſſario manet,
eius vero affectus qui actionem im-
pedit cauſſę poſſunt quidem nõ eſſe,
vt in febre ephemera ab æſtu ſolis:
poſſunt rurſus & adhuc manere, vt
in febre putrida ab obſtructione.
Quartum ab his genus eſt ſymptω-
matum quę diuerſas corporum paſ-
ſiones neceſſario ſequuntur, ſiue hæ
ſecundum naturam, ſiue contra ha-
beant. Nam functionis vitiũ eſt in-
ſigne morbi ſymptωma. Quæ verò
aliter eueniunt: vt colores, renixus,
aut tumor in phlegmone, ſymptω-
mata generatim capta dicuntur, ea-
démq; propria ac familiaria appel-
lari poſſunt. His præterea tertium
ſymptωmatis genus adiungi debet
quod fortè incidens vocari ſolet: vt
ſunt immodica excremẽtorum tum

Symptω-ma mul-tiplex.

retentio tum etiam expulſio. In ſalubrium vero ſiue (vt dicitur) morbificarum cauſſarũ quædam aut in corpore animalis conſiſtunt, quæ internę ſeu antecedentes vocãtur: aut extrinſecus accidunt, quas primitiuas nuncupamus. quæ omnia vnico hoc exẽplo rudiores doceamus: Eſto dicat aliquis phlegmonẽ in oculis eſſe affectum præter naturam: viſionẽ autẽ læſam, inſigne morbi ſymptωma: ruborem vero, tumorem, tẽſionem & renixum, proprium ac familiare ſymptoma: ſanguinis poſtremo redundantiã, antecedentẽ phlegmones cauſſam, primitiuam vero ciborum abundantiam: quibus omnia quæ ordine inter ſe habẽtur omnibus (vt ſpero) ſunt notiſſima.

Exemplũ ad hæc ſymptomata.

Olympicum malè pathos & ſymptωma diſtinxiſſe.

PAthos apud Olympicum eſt affectus præter naturã permanens, ſymptoma vero quod huic ſuccedit. vnde manifeſta hominis deprehenditur temeritas, vt cui concedendũ foret & atrophiam, & cacochymiã,

morbos esse si permanētia addatur, quod tamen non fatetur: & merito quidem, quoniam addēdum esset si ab eo læderetur actio. nam quoad illæsæ manent actiones, etiamsi millies corpus sit alteratum, nullus tamen eorum affectuum morbus erit dicēdus. nil enim curatur quàm affectus actiones vitians. nam quod primum maximéq; optamus, est naturalis actio: & propter hanc, naturalē constitutionē seu affectū. audire enim, loqui, aut ambulare indigemus, non autem auribus lingua aut cruribus: nam si alia particula hæc agere liceret, quis linguę esset vsus? argumento quòd particula demortua quę abscindi potest vt digitus, pes, aut manus, otiosa diu nobis nō gestatur, ac velut extraneū pōdus circunfertur: hoc ipso rursum clare ostēdētes, nō particulis sed functionibus nos egere, eodémq; (arbitror) modo naturalibus partium cōstitutionibus, quarum, vt est prius monstratum, actio est soboles. At redeūdū est ad Olympicum, qui persistentiam adiecit in

Actionibus, non particulis nos egere

Reditio ad morbi

diffinitiõe πάθος, vt intelligat q̃ bel Olympia lè eum deſcripſerit affectum. Nónæ ei perma ne qui toto corpore eſt cõuulſus, vel nẽtiam. etiã dimidiata hora, eſt morbũ perpeſſus, æque ac ſi pluribꝰ horis talẽ ſuſtinuerit affectum? nonne apoplexia, febris, epilepſia, nominaue id genus, naturę rei, nõ temporis ſunt indicia? alioqui, per Iouem, mirum ſit ſi aqua calida non fuerit, niſi perpetuum diem talis perſtiterit, aut qui febrijt ſex horas, non febricitarit, ꝙ longius malum nõ perpeſſus fuerit: quod ſane dicere vt eſt extremæ dementiæ, ita profecto doctis ac delicatis auribus moleſtum eſt audire. Quocirca finem huic primæ Galeni Therapeutices periochę imponimꝰ, qua breuiter pſtrinximꝰ cur ſit Gal. inuectus in Theſſalũ, quid eſſet præterea methodo inuenire, propoſitũque librorum methodi eſſe omniũ morborum curationem inueſtigare, ad quã ſane quatuor eſſe neceſſaria, quæ ſeſe ordine habeant, cauſſas, affectus, actiones, & ſymptoma diximus. Poſtremóque Olympici in

Enumeratio ſupra dictorũ.

distinguendo morbo à symptωmate, infantiam deteximus.

Finis primæ perioches.

PERIOCHE SECVNDI LIbri Therapeutices Galeni.

EOrum quæ corporibus ægris accidũt quatuor esse differentias libro superiore palam fecimus, quæ hic denuo sunt repetendã, vt quæ hoc secundo progymnasmate tradituri sumus ita cohæreant, vt vnũ ab altero enasci videatur. Ea enim sunt, affectus, actio, caussa, & symptωmata. quorum omnium vnũ est morbus, non quidem symptωma ipsum, non caussa: ergo est vel actio, vel deniq; affectus: Atqui actio non curatur, sed morbus: nemo enim vnquam claudicationem curauit: quare affectus est morbus dicendus: ad quẽ vnum curationis consilium omnino dirigitur. Is enim vt varius est, ita variis quoq; nominibus est appellatus: idque à loco affecto, vt Pleuritis, Ischias, Arthritis, Podagra: subinde à

ſymptωmate, Tineſmos, Dyſpnœa, Paraphroſyne: ſæpe ab ambobus, Cephalalgia, Odontalgia, Hyſteralgia: ſæpenumero à cauſſa putata, Melancholia, Leucophlegmatias hyderos: nõnunquã à ſimilitudine ad aliquid, Elephantiaſis, Cãcer, Meliceris, Staphyle. At numerare omnia ſuperuacuũ eſſet, nam multi à proprijs differẽtijs, veluti ab externis etiam ſymptωmatis nomina ſibi ſortiũtur, quibus superſedeo, cõtentus admonuiſſe, libros Methodi Galeni nemini eſſe ſuſcipiendos, niſi prius diligenter euoluerit libros de morborum, ſymptωmatúmq; differentijs & cauſſis, qui ſane tibi erunt futuri duces optimi ad eam, quæ eſt huius noſtri inſtituti finis precipuus, omnium morborum curationem.

Quid Pathos, quidve morbus ſit, cui vni parãtur remedia, docetur.

DVo ſuperaddẽda eſſe in hac methodo, ijs tribus præter naturã ex Galeno colligitur. Alterũ quid pathos à morbo differat, alterum quòd

ſine corporum elementis noſcendis, morbi inueniri non poſſent oſtēdet. Ad prius horum fideli memoria ſeruandum eſt, rurſum tria eſſe præter naturam: Morbos, vt phlegmonen, vlcus, febrim. Symptomata, vt ruborem, cauitatem, delirium: diuerſa autem ab ijs ſunt immodica tum retentio, tum excretio, & functionum vitia: quæ omnia cōmuni nomine ſunt ſymptωmata, ſed nō vni generi ſubiecta, de quibus fuſius eſt dictum in priori cōmentariolo. Poſtremo cauſſas, velut ſanguinis redundantiã vel corruptelam. Horum ſiquidem omnium quodlibet ex eorũ ſunt numero, quæ eſſe abſolute dicuntur. Actio vero nequaquã, aut certe non ſimiliter atq; iam comprehenſa: nullo etenim temporis momēto eius partes ſicut profecto nec ſermonis, nec motus vllius manent, quinimò horum vnuſquiſq; in ipſo fieri eſſe ſuũ obtinet. Nam cum ſit motus duplex, alter in loco qui delatio, alter in qualitate qui alteratio dicitur, omnis actio motus eſt actiuus, alteratio eius

Morbus eſt fact⁹, Pathos in fieri.

quod alteratur, eſt motus paſſiuus, patitur nanque quod alteratur: ergo affectus dum alterantur mouentur: cum à motu ceſſauerint, iam alterati ſunt, non autem amplius alterantur. Itaq; alteratio eſt qualitatis generatio, quanuis abſolute generatio ſit ad ſubſtantiã. Verum hæc ad auſcultationem phyſicã magis ſpectare videntur, ſed quæ tamẽ quod volebamus magna ex parte explicuerint: nempe aliqua in generatione, & mutatione, & alteratiõe, & vt ſemel dicam in motu ipſam eſſentiam habere: aliqua in ipſius ſubſtãtię cõſtantia: vt de morbo, ſanitate, ſymptomate, cauſſiſque dictum eſt, quæ ex permanentium conſtantiúmque numero ſunt. Actiones autem, alterationéſq; in quacunq; re fuerint, in ipſo fieri ſuam poſſident eſſentiam: & corpus ſecundum quodcũq; mouetur, ſecundum idem patitur, motúſq; ei⁹ pathos ſiue paſſio dicitur. Cæterum hęc dicta ſunt vt morbos, quibus hæc paratur methodus, exacte curare poſſimus. Cum his enim

Rei quæ afficitur mot⁹, pathos vocatur.

non actionis vitium duntaxat euanescit, sed omnia quoq; simul symptωmata tollũtur. Siquidem primũ & maximum actionis ipsius quæ secundum naturã ædatur, omnes egemus: propter illã vero & sanitatis. sed & rursum functionis incommodum amoliri cupimus , ob id vero etiam morbum: non autem actioni remedia, sed affectui pręter naturã, qui ei incõmodat, applicamus. quare distinguere oportet & ea quę naturaliter partibus insunt, & quæ temere accidunt, & quæ postremo actionis sunt caussæ. alioqui affectus vnde primo læditur actio inueniri non potest, quem primum in curatione locũ obtinere diximus. Actio autem non læditur quandiu omnia, à quibus orta est, suã naturã tuẽtur.

Morborum numerum inueniri nõ posse, nisi actionum caussas perspectas habeamus.

SI vnius actiõis igitur ope omnes frui cupimus, certe eius caussa in integro erit conseruanda: si autẽ ex quadam sinistra occasiõe aut perijt,

aut grauiter affecta est, illius ſane cauſſa potius erit adimenda: quam ſi quis ignorauerit, nec commoda admouebit præſidia, nec morbum vllo modo profligabit. Quare ad huius cauſſæ prȩter naturam cognitionē, actionis integræ, cauſſæ notitia plurimum adiuuabit: nam obliquum per rectum noſci putamus, ita & actionis vitiatæ cauſſam, per eā quæ functionis inculpatæ author eſt, facile deprehendimus. quȩ quidem dū male eſt affecta, vt priſtinæ integritati reſtituatur medicum ſolicitat: atqui rudioribus lectoribus exemplū Galeni hic adſcribere paramus.

Eſto quiſpiam qui diu ſolo ſit lacte altus, vnde & cruditas in vētriculo, & albus color ſit contractus: interrogemúsq; eum qui actionū naturaliū cauſſam non nouit, dicátq; ob id cruditatem eſſe, quòd mutatus ſit vētriculi color: nónne is protinus priſtinū colorē reſtituere conabitur? nam ſi colori actionis cauſſam tribuit, neceſſe eſt eidem læſionem actionis imputet. Qui vero tenuium meatuum

actionis caussam dicunt, etiam horũ omnium à modo recessum, eandem vitiare fateantur. Tum qui temperamento quatuor qualitatum actionis caussam assignat, etiam eorundẽ ipsorum intemperiei offensam eius adscribat: vtiq; & tibi necesse erit, eo quod secundũ naturã est, prius præsumpto, ita quod preter naturam est inquirere. fieri enim nõ potest vt qui id quod secundum naturam est non norit, dignoscere id quod præter naturam est possit: quare denuo videndum est cuius particulæ vẽtriculi tẽperamẽto actio eius, id est, coctio tribuatur: quoniã nõ toti instrumento veluti nec ei⁹ situi, nec magnitudini, figuræ, aut cõtextui (quãuis hec vsum habeãt suũ) primario adscribitur, ergo vel neruis, arterijs, venis, aut deniq; alteri membranarũ ipsum constituentium: at nerui, arteriæ, venæ, exterior deniq; mẽbrana vsum duntaxat præstant: quare superest vt mẽbranæ interioris tẽperamento actionis totius organi caussã referamus, veluti in reliquis quoq; instrumentis

esse vnā particulam similarem à qua procedit actio est à Galeno mõstratũ libro de facultatibus naturalibus: ad quam vnam conseruandā sanam, aut ægram restituendam, consilium omne nostrũ dirigere est operæpretium. Nec putandum est cum multis, tumorem, aut scirrhon, aut phlegmonen, aut abscessum, aliáque quæ oculis vsurpari possunt, solos esse vẽtriculi morbos. Sunt etenim qui sola ratione primo intelligantur, quos postea demõstrat actionis offensa: offendunt siquidem illi nunc cõnumerati morbi, siue in ventre, siue in iocinore, siue in pectore, siue in quouis alio accidāt loco. protinus enim partem in qua sunt, ad propriā functionem ædendam imbecilliorẽ reddũt: cuius sanè imbecillitatis caussa (vt vocant) coniuncta, est intemperies frigida, calida, humida, aut sicca, quæ cõtrarijs curari debeat authore Hippoc. simplex quidem simplici, composita vero compositis quoq; facultatibus persanatur. nā vt octo sunt intemperies, ita octo erunt meden-

di rationes. Quocirca iam liquet ex demonſtratis morborum numerum eſſe dignoſcendum, eorundémq; differentias, ſi auxiliorum cōuenientiū copiæ velis eſſe compos: quod rurſum Hip. Plat. Ariſtotelis, Theoph. Zenonis, Chryſippi, & omnium illuſtriū philoſophorū teſtimonio comprobatur: qui totidem eſſe medendi rationes, quot ſunt morborum Ideæ ratione confirmant.

Solidas partes intemperie frequenter laborare, contra Eraſiſtratum.

Actionum naturaliū cauſſam eſſe temperamētum particulę ſimilaris nuper oſtēſum eſt, vbi ſimul monſtrabatur inſtrumenta varijs cōſtare partibus: ſed ex his oībus vnā eſſe, à qua præcipua obiretur actio: reliquas vero ei eſſe velut famulatrices, quæ tamen particularem ſibi haberent actionem, vt eſt in oculo qui humoris Cryſtallini temperamenti beneficio viſionem perficit: quæ lęditur dum illud naturam ſuam egreditur: arteria autem, vena, neruúſq; ei

auxilium perferunt, ſed actionẽ quo
que toti corpori communem habẽt.
Membranulę rurſum omnes cũ ſint
nutrimenti participes, omnino ſunt
facultatibus naturalibus præditæ, ac
proinde etiam functionibus quæ ab
his proficiſcuntur. Quoties igitur
Cryſtallinus humor ex intẽperie la-
borat, omnino læditur oculorũ fun-
ctio. Cęterum non eſt eorum morb⁹
vt organa ſunt: At quod hypochy-
ma, id eſt, humoris liquationem vi-
ſum impedientem vocant, nullius ſi
milariũ eſt morbus, ſed totius ocu-
li, vt inſtrumenti: quòd ſi eius venas
aut arterias intẽperies infeſtauerit,
ipſarum quidem illarũ morbus pri-
mum erit: ex accidenti autem, etiam
oculi: ac idem cenſendum in omni-
bus alijs particulis. At Eraſiſtratus Eraſiſtra
in tradenda phlegmones ſubſtantia ti error.
lapſus eſt, cũ nec in particulis phleg
mone laborantibus, in finibus pulſa-
tilium impactio cernatur, nec arte-
riæ ſpiritum ſolum, cum naturaliter
affectæ ſunt, cõtineãt. Nam ſi phleg-
mone, aut ſcirrhus ſit eius generis

morbus, cui⁹ ille opinatur, & reliquorũ pleriq;, sicut ipse obscure & multi sequaces eius clari⁹ explicare conantur: vtiq; solidas ipsas partes liberas propemodum à morbis relinquit: nisi quatenus vlcerari, collidi, incidiq; valeant, atq; id genus aliud quidpiam pati: laborare vero eas his octo quas diximus intemperaturis subticuit: tanta est hominis temeritas. Si enim corpora quæ ægrè afficiuntur, vt æs, ferrũ, lapis, saltem calfieri, frigefieri, siccari, humescereq; cernũtur: vtiq; mirum erit, si duntaxat arteria, vena, & neruus nihil eiusmodi sentiant. atq; hoc magis mirã-

Solida corpora alterari.

dum, si patientur quidem, functionẽ tamen legitimã ędent: veluti in corde facultas quidem est, qua laxatur & contrahitur, quæ certe læditur si viuẽti animali, vt ĩ sacrificijs videt̃, cor exemptum sit: quippe si non læditur, perpetuo mouebitur: nec tantum ad tempus aliquod, vt nunc cernitur. Manifestum est igitur lęsam esse, proindéq; moueri desinere. Sed cum ea facultas lędi potest, nondum

corde exempto, colligendum huius læſionis cauſſam eſſe intemperiem, cũ nec figura eius, aut cauitas, oſculum, ligamẽtũmve mutatum eſt, ſed ſola intemperies. nam vbi ſanguis ĩ finibus arteriarum impactus actionem vitiat, id arterias quatenus inſtrumenta ſunt male habet: vt vero ſimilares particulæ ſunt, octo quidẽ ſecundum nudas qualitates intemperies habent, octóq; rurſus cum fluxione: quare oportet eum qui horũ cum certa ſcientia demonſtrationes cepiſſe velit, à libro de elementis incipiat, deinde reliquos ſigillatim relegat. ſunt enim huic proximi de tẽperaturis libri, ab his de inæquali ĩtemperie, mox de facultatibus naturalibus, alij de animæ affectibus, hos excipiunt de vſu partium commentarij, quos ſequũtur qui de morborum & ſymptomatum differẽtijs & cauſſis ſcribuntur: nec oſcitanter ſunt perlegendi illi de ſimpliciũ medicaminum viribus libri, quos proxime excipere debent hi de curandi ratione commentarij: quos denique

Cauſſa alteratorũ pulſuũ, ĩtẽperies.

Qui ad hanc Methodũ intelligẽdã ſunt libri prælegendi.

ſequuntur ad manum libri de pharmacorum compoſitione inſcripti. ac ſane ſi eo ordine Galeni libros tractaueris, facile teipſum in vnoquoq; morborum genere ita geſſeris curãdo, vt tandem non parum promouiſſe intelligas.

Quid indicatio, & quantum poſſit in curandi Methodo.

HIs itaq; prælibatis ad indicationem demum accedendum: ſi prius in mentẽ reuocauero quæ ampliter docuit Gal. Lib. de morborũ ſymptomatúmq; differentijs & cauſſis. Vnum quidem eſſe partium ſimilarium morbum, intemperiem: quatuor vero inſtrumentalium, quorum Primus eſt in conformatione, Alter in partiũ numero, Tertius in cuiuſq; quantitate obſeruatur, Quartus in poſitura. Vtrarúmque vero partium tum ſimilarium, tum inſtrumentalium communis eſt ipſa vnitatis ſolutio. ergo ſex ſunt in vniuerſum morborum genera, quorum cuiuſq; differentiæ ad vltimas vſq; ſpecies in libro de morborũ differentia ſunt tra

ditæ. Quare iam de medendi indica
tionibus est dicendum, sed hoc ipso
indicationis vocabulo prius exposi-
to. Indicatio enim est sequentium si
ue agendorum insinuatio, nam inue
nitur quidem & ab ipsa experientia
id quod consequēs faciendúmve sit,
cæterum non ita quasi in præceden-
ti aliquo designatū. Proinde Empi-
ricorū nemo dicit hoc isto indicari,
q̄q̄ certe seq hoc illud dicūt: & prę-
cedere hoc illud: & cōsistere hoc cū
illo: deniq; omnem artē horum ob-
seruationem memoriámque esse di-
cunt. Nempe quid cum quo: & quid
à quo: & quid post quid identidem
sit visum. Ergo ex ipsa rei natura or
diri, atq; ab ipsa quod sequens sit ci
tra experientiam inuenire, id est in-
dicatione inuenire. Sed hoc in pri-
mis adnotandum est, omnem medē-
di methodum per indicationem fie-
ri : quippe quantum ab experientia
seiunctum est, id totum indicatio no
minatur. Quare quisquis cōdere me
dēdi Methodum ad vnguem parat,
huic est à primis indicationibus au-

Indicatio quid.

Quid methodū cōdituro necessariū est.

ſpicandum: atq; hinc ad eas quæ deinceps ſunt tranſeundum, rurſúmq; ab his ad proximas. Itaque pergenti prius deſiſtendum non eſt, quàm ipſius compos ſit finis. Porrò finis propoſitæ, nũc nobis tractationis, eſt inuenire cuiuſque morbi remedia: ad quod ſane conſequendum nobis eſt neceſſaria ipſi⁹ morbi cognitio, qualis ſcilicet natura ſit, vt prius eſt oſtẽſum: quippe quando is ſit qui curatur merito ab ipſo indicationem incipere oportet: quocirca primũ quę generalis communiſque morborum indicatio ſit, inueſtigandum eſt: ab hac deinde ad alias ſpeciatim deſcẽdendum.

Finis huius inſtituti.

Morbum omnem, vnum ſpecie eſſe, multitudine autem diuerſum.

MOrbos omnes vnius eiuſdémque participatione ſic appellari neceſſum eſſe vna hæc demõſtrat ratio, qua homines vnius & eiuſdẽ participatione homines appellari dicimus. Canes etiã (non admiſſa æquiuocatione) boues, alia denique

omnia quę ſpecifica appellatione ita nominamus, non alia ratione ſic dicuntur quàm quod illis ſpecies quædam & proprietas, quæ omnibus eiuſdem rationis, non autem aliis, inſit. Nam hominis cum homine, veluti Theonis cum Themiſone non nominis modo, verum etiam eorum quæ ijs inſunt, proprietas eſt: animalia enim & bipedes, & rationales, & mortales ſunt. Quare hoc theorema colligere licet: Nihil vlli ſingularium eiuſdẽ ſpeciei, quà illius quidem eſt ſpeciei, ineſſe deprehẽditur, quod non etiam reliquis eiuſdẽ participationis inſit: vt omni cani terreſtri, eadem quà canis eſt natura ineſt: qui quanuis nomine cũ cane marino non differat, ſpecies tamen qua omnia proprie diſtingũtur longe alia eſt ab eo. Sed id in ſubſtantijs mirum videri nõ debet, quum & id accidentibus adeſſe conſpiciatur: homo enim ambulans ab homine ambulante non differt ſecũdum ipſam inambulationem, ſed nec vſtus ab vſto, nec albus ab albo. Ita igitur &

ipsum ægrotare & valere se habent: illud enim ægrotãtibus omnibus inest, hoc valẽtibus: vtiq; vnum idémque vtrúmque. & veluti nomine hominis vnum, ita etiam nomine sanitatis vnum significatur. vnde quàm sint stupidi qui vnum esse phreniticum & vnum Empiricum, vnum tamen hominem esse non concedunt, colligere promptum est: quibus parum certe perspectum est Platonis axioma, quo vnum esse plura, & plura quoque esse vnum contendit. Vnde vnum genere, specie, ac numero dici ac esse qui non intelligunt, mihi, per Iouem, asino (quo nullum est animal stupidius) ineptiores videntur. nam hic communium specierũ vnam, alteram priuatarum cognitionem habet, vt qui camelum, & hanc camelum, hominem rursum, & hunc hominem curatorem suum, viam preterea communem, & hãc cui insueuit cognoscat. Quare si commune illud vnde homines specie sũt vnus, intelligit asinus, certe flagitiosum erit morbos omnes vnius eius-

Platonis axioma.

Quę solo accidente differunt ea solo numero differunt.

démque participatione morbos nõ esse appellandos, putare.

Morbum rursus vnum genere esse, ac eum ipsum quippiam esse.

CVm totius essentię quędam sint accidentia, vt albedo, obesitas, inambulatio: quædam vero partium eius, vt cæcitas oculorum, claudicatio pedum: præterea animi quædam signa, vt bonitas, iustitia, fortitudo: certe morbum quẽdam esse qui notione vniuersali genere aut specie vnum sit, vnde reliqui morbi sic appellari debeant: ac denique vt illa corporibus accidant, non abs re ingenue profitentur. Medicus enim ideo sic appellatur, quòd habeat id quo cæteri vocantur medici: ita & quis ægrotare dicitur, quia id commune perferat, vnde rursum omnes sic laborare creduntur. Quo fit vt mihi mirari subeat de his qui phreniticum & hominem esse concedũt, morbum vero & animal esse nequaquam. Quippe quod perinde est ac Simile. si composita esse des, de simplicibus

autem dubites: quaſi priora compo-
ſitis ſimplicia, natura non ſint. Prius
enim eſt natura homines eſſe, &
Phrenitida, quàm hominem Phre-
niticum. Sed maiorem dementiam
audi quorundam negantium ideo
morbũ eſſe, quòd is per ſe nunquam
fuiſſet. Pulchre quidem dictũ, nam
quî fieri poteſt vt albedo, curſus, aut
aliquod denique accidens per ſe, nõ
autem in alio conſiſtat? Nonne ſen-
ſus vnum quid eſt, quod ipſis corpo
ribus accidit, corpus autem ſentiens
vnum? ita hercle morbus accidit cor
poribꝰ, quę hinc ægrotare dicuntur:
quare abſurdum eſt morbũ aliquid
eſſe negare. Quippe ſi affectus nihil
ſit, vtiqꝫ & morbus nihil erit: ſin af-
fectus aliquid eſſe detur, vtique &
morbus aliquid fuerit. Ac mihi quo
que de ſymptomate, & paſſione, in-
telligendum volo, præterea de ſani-
tate, & paritate, & robore, & poten-
tia, omnibúſque alijs quorum & no-
mina, & notiones de rebus quibuſdã
ſubiectis ſunt dicta. Omnia namque
hæc corporibus inſunt partim vt af-

fectus, partim vt actiões, partim vt passiones: quorum quædam naturaliter, quędam præter naturam insunt. Verum ne hæc nostra perioche latius extendatur, vela contraham, quibus vnà complicabo morbum vnũ esse ex his quæ præter naturam dicuntur, quem à pathemate solo motu differre ostendimus: ac simul addebamus neminem morborum numerum habere posse, nisi prius intelligeretur tẽperamẽtum esse caussam omnium actionum naturalium, quæ omnino integre fiunt dum naturaliter est affectum: si vero contra naturam, vitiosæ corruptæ'q; edũtur. Vnde contra Erasistratum palam esse confirmauimus, solida corpora nõ solum phlegmone, scirrho, tumoréve lædi, sed frequẽtius ac potius eorum actiones ab intemperie offendi: ad quorum certe omnium curationem, indicationib⁹ esse opus res edocebat: ac ita demũ quid ipso indicationis nomine significaretur, & quãtũ hæc ipsa posset in arte medica, arctius perstrinximus. Cui post

Enumeratio.

tremo diſputationi ſucceſſit demonſtratio, qua morbum vnum eſſe genere, numero autem diuerſum interiectis Logices theorematis nõ paucis longa dictione Galenus confirmauit.

Finis ſecundæ Perioches.

PERIOCHE TERTII COMmentarij Therapeutices Galeni.

Vnde in morbis curandis præcipue ſumitur indicatio.

QVoniam iam monſtratum eſt indicationem, quæ ab ipſa rei natura primũ oritur, quid ſit agendũ inuenire: neceſſum eſt præſidiorum inuẽtionem ex morborũ natura ſumi. non tamẽ ea quæ à morbo capitur indicatio, (quãuis omnium prima maximáq; ſit ad curationẽ) ſufficit (quod putauit Theſſalus) quinimo & corporis totius, partiſq; temperies, victus ratio, ætas, conſuetu-

In curatione obſeruãda.

do, tẽpus, ac deniq; omnia quæ scribit Hippo. diligenter sunt obseruanda. Illa enim quã primum diximus quæ præter naturam sunt in corpore, vt est calculus in vesica, auferenda: quæ autem secundum naturã habent, conseruanda esse indicat: quæ vero locum exilierunt, vt intestinũ in scroto, reponenda in locum pristinum sese insinuant. Sed id profecto commune est etiam idiotis, qui verrucas, pterygias, tumorésq; præter naturam omnes sibi auferri, mẽbrum vero luxatum sibi reponi iubent. Quibus autem præsidijs id fiat solus nouit, qui & ratione, & experientia finem artis consequitur. Quocirca vnitatis solutio (quæ in diuersis partibus diuersa sibi sortitur nomina) vnitionem postulat: verum nõ intelligunt omnes, quænam particula id recipit aut refugit, cuius tamen rei duplex est cognitio: altera per experientiam, cui longo opus est vsu: altera per ipsius partis naturam, quam certe docet eius neruosa, carnea, aut ossea substãtia. præterea da.

Quæ in partis vnitione cognoscen-

actio, situs, & vtilitas non parum ad id cōferunt: à quibus certe quis exorsus, non modo quænam sanitatem recipere possint intelliget, sed quibus auxilijs id commode fiat, optime cognouerit. Rem itaq; de vlcere simplici, & nōnunq̄ orationis ductu, composito aggrediamur: exemplū de cauo vlcere, in quo est generāda caro proponentes, vt simul & Thessalum confutemus, & rationalē auditorem in arte perficiamus.

De vlcere simplici, & cauo, ad quod omne medicamē Sarcoticū indiscriminatim vsurpat empiricus.

VLcus igitur simplex esse (quod claritatis gratia posthac vuln⁹ appellabimus) aut cōpositū ex multis alijs affectibus, cauitate, putredine, phlegmone, partis intemperatura, alijsque de quibus mox dicemus, omnes nouerūt: de quibus hoc tertio, quarto, quinto, ac sexto libro cū Galeno docebimus, exordium facientes in hoc, & quinto à simplicib⁹: nam quæ sūt manifestiora prius tractari debent, quāuis etiam nemo cō

positorũ rationẽ intelligat qui simplicia prius omnia perspecta nõ habeat. Vulnus itaq;, vt iam est dictũ, solam vnitionem, cui si accesserit cauitas impletionem, ac tandem cicatricis obductionẽ indicat: cauitas autem si os subditum carni perierit, nunq̃ ad vnguẽ repleri, cicatrice vero obduci potest: quod & ratione, & experimento solum cõprehenditur. Quæ caua replent Sarcotica dicuntur, à Thessalo frequenter vsurpata: quorũ tamen inuentionẽ nec vt dogmaticus, nec vt empiric⁹ nouit. ea autem sunt, Iris, panax, thus, aristolochia, erui farina, ac ex his cõposita nõ pauca à Galeno libris de Pharmacorum mixtione tradita, ex quibus vnum tib deprompsim⁹, quod libro quinto διὰ πομφόλυγος vocauit: ac illud in communem praxim ducentium formulam parauimus, vti sane & facturi sum⁹ vbi opportuna sese obtulerit occasio. habet enim in hũc modum: ℞. resinæ vnciam semis, pumicis torrefacti & cum vino restincti, ireos, aristolochiæ longæ, sin- Sarcotica

gulorũ drachmas duas ſemis,aſę fœtidæ drachmasquinq;,ſquamæ æris, thuris,ana drachmã vnã ſemis.Fiat puluis qui in mel coctum excipiatur ad vſum . Omnia ſiquidem ſiue ſimplicia, ſiue compoſita Sarcotica, ſi commode admoueantur, ſemper effectum conſequẽtur.Sed ideo frequenter fine ſuo fruſtrantur , quòd empiricus omnib⁹ indiſcriminatim naturis citra delectum ea applicat: verum rationalis medicus qui ſingulis naturis ſua eſſe remedia cognoſcit,vt poſtea mõſtrabimus,vni ariſtolochiam intelligit vtilem eſſe,alteri autem nocuam:idque ob diuerſa hominũ temperamẽta.Quocirca ſæpenumero quæ vlceri aduerſa eſſe videt, frequẽter ſimul temperat:ita demum ex contrarijs vnum facit aptiſſimum.quod nõ intelligens empiricus iubet multa eiuſdẽ facultatis miſceri,vt ex illis aliquod ſit forſan quod rem ſuam adiutare poſſit. Quare nec æruginem,nec oleum ſimul miſcuerit.quod rationalis intrepide fecerit,non ignarus, ex duob⁹

immodicis cõtrarijs vnũ effici modicũ: quòd Gale. libris de pharmacorum mixtura docuit, ac qualis cuiusq; modus in cõpositione esse debeat luculenter monstrauit.

Ratio cõponendorum medicaminum.

Carnis generãdæ caussa duplex, cui inseruit sarcoticum medicamentum detergens & siccãs circitèr ordine primo.

POrrò quoniã in cauo vlcere carnis quæ perijt generatio proponitur, materiam ad id esse sanguinẽ probum, opificem vero authorémq; partis vlceratæ naturam seu temperiem est intelligendum. Quare hæc duo cõsiderãda sunt semper, & quod subiectum est iusta ne sit temperie, præterea sanguis qui influit, bonus ne an modicus sit. Quibus sic habẽtibus nihil est quod obstet quo minus prima carnis generatio feliciter contingat, idq; nullius externi medicaminis ope. Verum quoniam omnem qualitatis alimentorum mutationem duplex excrementum sequitur, necessum est in carne generanda geminum quoque prouenire: alterũ

crassum ac viscosum, quod sordes dicitur: alterũ vero tenue & aquosum, saniem appellamus: illud detergeri, hoc vero resiccari postulat. Quare cum nullo tẽpore natura cesset, semper hæc ambo excrementa in vlcere cauo gignẽtur, vnde & perpetuo erit opus vtroq; medicamentorum genere, vtique & quod siccet, & quod expurget: quorũ materiam habes amplissime libris de simpliciũ medicamentorum viribus, vbi & per genera & species docuit Galenus quædã calfacere quædam refrigerare, humectare aut siccare: atq; frequenter simul coniũcta esse, certis tamen limitibus, ceu gradibus id facere caput vltimum quinti libri illius tractationis satis fecerit. Quoniã vero medicamenta valenter tum siccantia, tum detergentia non modo humoris influentis redundantiam consumunt, sed etiam affluentem sanguinem populãtur, operæpretium est ea ipsa esse primi (aut circiter) ordinis siccantia ac detergentia: qualia sunt, thus, & hordeacea, fabacea, eruiq; farina,

iris, aristolochia, cadmia, phu, tutia, pompholyx, myrrha, aloë, ac plurima denique, sola maioris minorisq; ratione dissidētia. vnde fit vt eorum nonnulla huic naturæ apta, huic vero aduersa esse conspiciantur.

Seruandam esse partis temperiem, vlcus tamē semper siccandum, quantitatem postremo in curatione intelligi aut præcipi non posse.

CArnem in vlcere cauo producēdam similem esse debere ei quæ præfuit, rei natura indicat. vnde & gemina nobis exoritur indicatio: altera ab vlcere quod siccari semper, altera à partis temperie quæ cōseruari postulat. nam quæ præter naturā sunt, ablationem: quæ vero secūdum naturam, sui conseruationem indicant. Quare particula humidior, humidius medicamentum: siccior, siccius, ac ita in reliquis desiderat: quo fit vt sua cuique naturæ sit medendi ratio. merito itaq; thus in quibusdā naturis ac vlceribus pus mouet, carnem non producit: aristolochia & pa

Theorema.

nax valentius ſiccant quàm pro na-
turis humidioribus ſit ex vſu, & ita
demum in reliquis, quorum enume-
rationem non patitur hæc noſtra La
conica perioche. Verum in ijs omni-
bus examinandis empirici metho-
dicum vincunt, cui ad omne vlcus ca
uum vnum ſufficit medicamentum:
ſed illi longa obſeruatione cognoue
runt, non omnia omnibus conueni-
re, quare quoad licet ad curandæ na
turæ proprietatē quamproxime ac-
cedunt in ſuis commentarijs ita ſcri
bētes: Medicamētū ad eos qui mol-
li ſunt corpore, & pueros, & mulie-
res. rurſus aliud emplaſtrum ad ſe-
nilia corpora, aliud ad ea quæ cica-
tricem ægre admittunt vlcera, oráſ-
que prætumidas habentia, compo-
nunt: non tamen fatentur veluti nec
dogmatici omnes, naturā ad vnguē
cognoſci poſſe, quare nulla ſcribi po
teſt exacta curatio. Quāuis enim in
arte nec res, nec medela, eſt quæ ſpe-
cie dicibilis nō ſit: vna tamē eſt quā-
titas quæ nec ſcribi, nec præcipi po-
teſt. In vlceribus enim & ſordes & ſa

nies dicitur, horum tamen quãtitas minime. quãquam proxime ad eam accedere ſtudẽtes, paucam, multam, craſſam, tenuémve dicimus. ad id autem coniectura non modice iuuabit, nam videntibus nobis medicamentum carnem non produxiſſe, conſiderãda hæc duo ſunt, an parcius, an nimium medicamentum ſiccauit: horúmq; notas habebimus ſordem & ſaniem: nam ſi pluſculũ ſordis ac ſaniei fuerit, parcius: ſi vero ſquallidũ & exuccum reddatur vulnus, ſupra modum ſiccauit. Statim igitur menſuram quoq; exceſſus defectúſque ex ipſo notarũ modo intelligemus, tantóq; pharmacum quod deinceps parabitur, vel ſiccius, vel non tale admouebimus. Exẽplũ.

De ſimplici vlcere curando.

PErficitur vulneris curatio iuxta eãdem methodum: quippe quæ tum à laborantis partis tẽperie, tũ à medicamentorũ facultate accipitur, quæ ambo à tractatione de elementis pendent. In hoc enim vulnere ſola eſt ſoluta vnitio, quæ agglutinan-

tia medicamẽta poſcit:non vt in vl-
cere cauo,aut plano.in illo enim ge-
neranda eſt caro & cutis, tum poſt-
ea vniẽda eſt ſolutio:in hoc vero duo
duntaxat proponũtur,cutis ſuperio-
ris(quam epidermida Græci vocãt)
generatio (nam prima reparari non
poteſt,pars eſt enim ex ſemine con-
tracta) ac vnitatis ſolutæ coitio. In
vulnere autem vnus eſt tantum ſco-
pus,vnitio:de quo nunc propoſitum
nobis eſt.ad quod ſane faciundũ di-
ductorum oras vnà coniunctas eſſe,
coniunctáſque remanere oportet,ſi-
mul autem manent quædam per ſe,
quædam aliorum ope. per ſe quidẽ,
quæcunq; ſecum concreſcunt ac coa-
leſcunt,vti caro ipſa,&quæcũq; car-
neam habent conſtitutionem. Alio-
rum vero ope ſic manẽt dura ſiccáq;
(nam mollia facile coaleſcunt)qualia
ſunt oſſa,nerui,cartilagines quæ glu
tinum aliquod, aut vinculũ vt ſimul
commiſſa maneãt,requirunt: ſed de
ijs poſtea.Nũc vero de ijs quæ facile
per ſe vniũtur,in quibus natura cauſ
ſa eſt coitionis.vnde ſi quæ diſſidẽt,

Quare cutis reparari non poteſt.

in idem ad amussim componas, citra alienam opem glutinabuntur. Componuntur quidē aut vinculo circunducto, aut fibulis, suturáve adiecta. quod circumijcitur, in duritie & mollitie mediocritatem seruet oportet. hæc si feceris, fueritq; vt est propósitum simplex vulnus citra omnem alium affectum, proculdubio coibit: si vero præ eius magnitudine ad imum vsq; disiunctæ partes coniungi non possint, nec fibulis, nec suturis ad eas pertingere valentibus, vel etiam iam sanies sit illic collecta, vel dolor quispiam adiūctus, eiusmodi vlcus ex sola partium commissione, omnino agglutinari non potest. dolor enim fluxionē citat, quam ferre non possunt particulæ ex dolore imbecilliores factæ: sanies vero, aut inclusus aer interiorum laterum frontes sese cōtingere prohibet. Quare illæ saltem vlceris partes, vt coeant, etiam carne prius impleri naturæ opera postulāt: eritq; parādum sarcoticum medicamen, quod vlcus siccet, saniem vero si iam subsit, consumat, ac quæ influ

Sarcotici ac glutinatorij medicamēti differentia.

xura sunt, prohibeat. Diſſidet tamen à glutinatorio, quòd illud ſiccet detergátq;, hoc vero ſiccet quoq;, ſed valētius, & adſtringat: qualia ſunt auſtera acerbáq; omnia. Sarcoticum autem non debere eſſe adſtringēs, hæc ratio commonſtrat, quòd ſordem vlceribus arctius affigeret, quàm quæ facile abſolui poſſit. Vinū igitur omnis vlceris quà vlcus eſt, optimū eſt medicamētum. Vnum tamen in hac vnitione vulneris pariter eſt obſeruādum, vt videlicet partis tēperies conſeruetur. nam ſicca, ſicciora: humida, humidiora quoq; poſtulat glutinatoria pharmaca. Hinc alia quædā methodus ſuccedit ad eorum præparationem compoſitionémq; pertinens: ſiquidē vlceribus profundis non facile adponitur pharmacum ſiccum, quapropter ipſum miſcere liquidis, aut pinguibus vt in emplaſtrorū formam reducantur oportet, quo tandem ea fluentia in profundum facilius perreptent. Verum hæc ad ſpeculationem de pharmacorū compoſitione pertinere videntur. Hæc igi-

Vinū vulnerib⁹ optimum medicamentum.

tur de glutinatorijs medicamẽtis stri ctim summatimq; diximus.

De inducenda cicatrice.

PAulo antè orationis sequela de vlcere cauo differẽtes, sumus quidpiam breuiter locuti de cicatrice inducenda, quam rem hic sumus absoluturi. In hoc enim caro materiei rationem obtinet, vt in cauitate replẽda sanguis: medicamentum vero valentius quàm glutinatorium siccans, efficiẽtis caussæ officio fungitur. nam cum æquale est vlcus, oportet carnẽ naturali tegmine operire (id enim est ad cicatricẽ ducere) quare nobis est generanda cutis, aut sũma caro similis cuti faciẽda. Atqui cutis, vt prius est dictũ, regenerari non potest: quare quidpiã quod sit ei simile, & quod eius officiũ suppleat, est emoliẽdum. Alteranda igitur est caro ad siccitatem, cutis tamẽ hæc nil est quàm caro siccior facta, vnde & ea ipsa cutis dẽsior sicciórq; esse debet: quod plane effecerit medicamentũ & siccans & adstringens, quale erat glutinatorium. Sed eò dissident, quòd epuloti-

cum, id est, cicatricem inducens non modo qui influit humorem, sed eum quoque qui in carne continetur con sumere debet: glutinatorium vero so lum quod confluit insumat oportet, quo videlicet particula vacuis super fluisq; vacet. Quocirca hæc minus, il la magis siccare iam dictione clarũ est. Veluti hæc modice siccãt, Galla, balaustiũ, acacia, rhus seu sumach: Chalcites vero, æs vstum, æris squa ma, misy, & fissum alumen multo his sunt valentiora, quæ lota vim illam magna ex parte remittunt. adhæc ex libro sexto de pharmacorum miscel la huc vnum compositum transtuli mus, quod aridum, vt reliquos pulue res, appellauit Galenus. ℞. corticis pi ni siccati drachmas sex, cornu cerui ambusti, cerussæ, corticis thuris, ana vnciam semis cadmiæ vnciam vnã, æruginis rasæ drachmã vnã semis: ijs contritis vtitor. Alterũ cicatrice ob ducẽs carnes citra erosionẽ, ex Har pocrate in hunc modum ibidem de scribit Galenus. ℞. sandaracæ, chry socollæ, arsenici, pares singulorũ por

Epuloticum.

Alterum

tiones: fiat puluis, qui (ſi voles) oleo aut cera excipiatur ad vſum. Sed de ijs hactenus. hæc enim ad cõtemplationem de cõponendis medicamentis referri debẽt, quæ ſane hos commẽtarios ordine ſequitur, vt hos ſimplicium medicaminũ antecedere cognitionem, quam rurſus de temperamentis & elementis diſputationem præcedere optima ratione putamus. Nam cum altera ſit de ſimplicibus peritia, altera de compoſitis, æquum eſt profecto, vt ſimplicium cognitio compoſita ordine antecedat. Verum hic finem capiat de cicatrice inducẽda noſtra diſceptatio.

De carnis immodica excreſcẽtia.

DVm vlcus carne ſuperexcreſcẽte luxuriat, duplex, vt in cauo, proponitur affectus: inſtrumẽtarius, nempe magnitudo, & cõmunis, quẽ ſolutam vnitionẽ appellauimus: hic coniũctionem, ille vero ablationem ſui indicat. naturæ quidem opera caro generabatur, excreſcens autẽ medicaminis vi tollitur, quod valenter ſiccet, tum inſigniter detergentibus,

tum epuloticis proximum ſit opor-
tet. At mihi vnũ ſemper fideli me-
moria obſeruari in omnibus cupio,
nempe pro diuerſis partium tempe-
ramentis variãda eſſe remedia: quũ
nonnullis naturis quædam carnem
excreſcentem inſumũt, alijs vero ci-
catricem inducũt. vt quibuſdam ſo-
lum glutinatorij munus præſtãt. nã
ſicca particula ſicciora: vt humida
humentiora, ac in reliquis poſtulat
remedia. ad id autem benefacit calx
viua, arſenicũ, ærugo, æris ſquama,
chalcãthum, vtraqꝫ ariſtolochia. ex
compoſitis vero hoc vnum ex Scri-
bonio Largo traduxim⁹ quo Meges
chirurgus vtebatur. ℞. calcis viuæ
vncias duas, thuris, ſquamæ æris
ex clauis decuſſæ, ana vnciã vnam,
adde ſi voles æruginis & argẽti ſpu-
mæ, ana drachmas duas: excipiantur
in oleo myrtillorum ad vſum. Præ-
terea ex Galeno libro quinto de cõ-
poſitione pharmacorũ ſic habeto. ℞
Sãdarachæ, arſenici, ana drachmas
tres, calcis viuæ, thuris, ana vnciam
ſemis: ijs tritis vtitor. Alterum vi-

Carnẽ luxuriãtem inſumens pharmacũ ex Scribonio Largo.

ride à Galeno appellatum cuius meminit libris methodi, in hunc modum habet. ℞. æruginis, chrysocollę, ana vnciam vnam, terebinthinæ vnciam vnã semis, ceræ vnciã semis, aceti modicum. Multo plura certe ex Largo, Galeno, Principe, cæterísque praxiforis trãfferremus, sed vereor ne hæc nostra perioche compendij nomen exueret. Quare cum iam de simplicis, caui, pleni, luxuriantísque vlceris curatione absoluimus, affectus qui simul frequenter vlceri adsunt misceamus, exordium faciẽtes ab intemperie partium quæ solutione laborant.

De affectibus solutæ vnitioni permixtis.

IAm res ipsa suadet vt vlceri affectus qui simul crebro incidere solent, ab ipsius partis intemperie exorsi misceam⁹. ea enim aut calidior aut iusto frigidior effecta vtiq; exigit medicamẽtũ quod nõ modo siccet aut humectet, sed quod proportione affectui respondeat. fieri enim nõ potest, vt in vlcere vel carnis pro

ductio, vel ſinus impletio, vel agglu-
tinatio, vel deniq; cicatricis inductio
recte vnquã cedat, niſi ſubiecta caro
pro naturali modo ſe habeat. Quo-
circa maior tibi ſolicitudo erit legi-
timi vlceratarum partium tempera
mẽti, quoties eas carne implere, vel
cicatrice obducere, vel glutinare ſtu-
des. Nam ſi vnà cũ vlcere phlegmo
ne eſſet, hæc opera naturæ fieri non
poſſent, niſi prius & phlegmone, &
partis intẽperies (dum adeſt) ſit di-
ſcuſſa. Animaduertendũ ſubinde eſt
medicamenta tum calida tum frigi-
da certo quodã ordine in partiũ in-
temperie corrigenda contineri de-
bere. nam mãdragora ſeu altercum
nimis refrigerant, reſina vero, pix,
aſphaltus, calidiora ſunt, q̃uis ſicci-
tate nõ ſint immodica. Proportione
autẽ in curandis vlcerib⁹ habeãt ſe
oportet aeris ambiẽtis tẽperamẽta,
quorũ exceſſui medicamẽtũ occur-
rat. Ideóq; Hippocrates in calidiori-
bus anni temporibus ijs quibus fa-
cultas ſit frigidior vtitur medica-
mentis: calidioribus per frigidiora

ſemper. itaq; hoc verum erit theorema, vnumquodq; ſui conſeruationẽ per ſimilia, ablationem vero per cõtraria habere. Ad hæc quòd tũ corporis temperies, tum anni tempora, tum partium naturæ conſideranda ſint ab eo qui probe vlcera perſanare conatur.

Theorema.

In curatione tum vlceris tum aliorum affectuum ſæpe indicari cõtraria, incipiendúmq; eſſe ab eo, ſine quo alterũ curari nõ poteſt.

CONtrarias ſubinde in vna curatione indicatiões oboriri ex ijs quæ latius poſtea explicabuntur facile intelligetur. hic quoq; breuiter, quantum ſit ex vſu, dicetur. etenim corpus interdum eſt humidius, pars vero ſiccior, aut contrá. Pari modo in calore & frigore frequenter reperitur. In qua re eatenus vires medicamẽti intendere oportet, quatenus corpus ad naturalem temperiẽ verſum eſt. Pone igitur totum laborãtis corporis temperamẽtũ eſſe duobus numeris humidum, partes vero laborantes ſiccas eodem ordine: cer-

tè medicamẽtum in hac oppositio-
ne mediũ esse debet. Sin siccior iusto
particula, q̃ corp⁹ humidius fuerit:
vtiq; in tantum siccitatem medica-
menti intendi conueniet, quantum
particulæ temperamentũ totius cor-
poris temperiem excedit. veluti si
quatuor numeris sit pars exulcerata
medio temperamento siccior, ægri
verò natura gradibus tribus humi-
dior, clarũ est oportere medicamẽ-
tum vno gradu siccum esse, quoniã
particulæ siccitas vno duntaxat or-
dine corporis humiditatem supera-
bat. Sed vt hæc coniectura sola co-
gnosci possunt, ita longam exercita-
tionem postulant. Nec est præterea
quod de indicationibus à calido fri-
gidóq; sumptis dicatur, quandoqui-
dem ad portionem dictorum intel-
ligi possunt. hæ siquidem indicatio-
nes eodem tempore fiunt. Sed aliæ
sunt quæ diuersis tẽporibus pficiũ-
tur. Phlegmone enim primo auferri
debet, sordes postea detergeri, caui-
tas dum adest implenda, postremo
cicatrix inducenda. Ergo in omnib⁹

Ordine se habentia in curandis vlceribus.

ſic mixtis vlcerib⁹ triplex nobis pro-ponitur finis: Vnus ſumptus à cauſ-ſis illius quod poſtea futurũ eſt, ve-luti eſt iuſta ſubiectæ carnis tempe-ries, quę cauſſa eſt impletiõis & coi-tionis. Secundus finis, vt quod ratio nem obtinet ſine qua non, quemad-modum eſt vlceris puritas & caui-tatis impletio: nam ſine harũ vtra-que vlcus non ſanabitur. Tertius eſt eorum quæ velut nos vrgent ac ſo-licitãt, vti ſunt affectus vnde primũ maximéq; homini imminet pericu lũ, qui primi curari debebũt, ac ĩter-dũ ſoli: quemadmodũ cũ è vena aut arteria ſanguis immodice fluit, totũ per tranſuerſum vas præſcindes, vt quod ex eo ſanguinis profluuio peri culum imminet, auferas: vlcus tamẽ inſanabile reddes. Præterea vbi lu-xatio cum vlcere adeſt, ipſa quidem curari non debet, quoniã ſi ea in ma ioribus ſit articulis, dum curatur, cõ uulſiones, deliria, grauiſſimáq; inue-hit ſymptomata, vlcus tamen ſanari poſſit. dicetur vero de his amplius in ſequẽtibus, in præſentia nanq; ad

Triplex finis in vlcerum curatione.

proprias vlcerum differentias redire placet, ac propositum sermonem breuiter complecti, ne quicquã prætermittamus, quod ad curandi artẽ desideretur.

De Vlcerum simplicium & compositorum proprijs differentijs, quæ curando suã indicationem habent.

PRoprias vlcerum differẽtias curationem indicare paulo pòst ostendetur. Alia est enĩ simplicis, alia vero eius cui alius est adiunctus affectus differentia. Simplicis rursus quædã ab ipsius rei natura ducitur, vt est obliquum, rectum, magnũ, paruum, profundum, altum: quædã præterea extrinsecus accedit & rationẽ habet sine quo non, vt à tempore: recens, vetus, latens, prominens. Alia etiã à loco sumitur in quo consistit, vt dum musculi caput, finis aut medium, venter etiam aut iecur est vlceratum. Verum hæc differentia nõ à propria vlcerum natura, sed à locis in quibus hæc sunt desumitur. Quare ab ijs etiam curandi capitur indi-

catio, non tamen ex æquo: nam vet⁹ aut recens nil indicare mõſtrabitur in quinta perioche aduerſus Theſſalum. ſiquidem quod vulnus tantùm eſt (de quo nobis maxime hic agitͬ) ipſam duntaxat vel vnitionem, vel agglutinationem, coitionem, vel denique continuationem deſiderat. vnde certe clarum eſt ipſum ſiue recẽs, ſiue vetus, ſimilem omnino optare curationẽ, nil plane indicante diſcrimine eo, quod à tempore ſumitur.

Quid in cauo vlcere curando aduertendum.

Cauitas autem in curatione conſideranda eſt, vtrum ea in ſuperiore parte ſit, ita vt ſanies ex ea prona deflu at: an in inferiore, ita vt illic ſiſtatur. ei⁹ enim cui patet effluxus, eadẽ quę aliorum eſt curatio: cui vero non patet, aut cauitas tota ſecanda, aut in fundo tantùm aperienda eſt particula. quando vero alterutra ſit ineunda, docebit tum locorum ipſa natura, tum etiam vlceris magnitudo. Si enim locus dubiam faciat ſectionẽ, & vlcus magnum fuerit, in profundo magis aperire expedit: ſin contra ſe habeãt, perſcindere lõge præſtat.

Deligatio vero ei⁹ incipiat quidem superne, finiatur infrà, vbi ſcilicet patet effluxus. Porrò vlcerum proprias differentias abſoluere par eſt, ac mõſtrare quid in curãdi ratione poſſint. Tranſuerſa enim vulnera, quia labra habent multum diſſidentia, cõiungi diligẽtius poſtulant. lõga muſculorũ vlcera, ſi à duplici initio deliges, nec fibulis, nec ſuturis tibi opus erit. magnorũ vero & paruorũ curatio iam poteſtate eſt tradita. Quę vero profũda latáq; ſunt, & valẽter ſiccari debẽt: & ne immature labra cõiungas, & vt à duobus initiis deliges, & vt altis deniq; ſuturis conſuas oportet. Ad eundem modum, & ſi multæ differentiæ ſimul coierint, quarũ ſua cuiq; ſit indicatio: ſi quidem inter ſe minime pugnent, omnibus vti maxime expedit: ſin aliquatenus ſecũ pugnent, habenda eſt ratio eius quæ potentia ac dignitate vincit, vti poſtea fuſius docebitur.

Quid in curatiõe poſſint ꝓpriæ vlcerum differentiæ.

Supereſt tamen vt quippiam de vlceribus quibus alius adiungitur affectus breuiter dicam⁹. qui enĩ phleg-

De vlcerib⁹ aliũ affectum.

monen, eryſipelas, gangręnam,aut ſecum ha
aliũ quenuis affectũ, differẽtias vl- bentib⁹.
cerum eſſe putat,longe quidem falli
tur,quod vnica hac demonſtratione
omnibus innoteſcit. Habet enim in
hunc modum:Quod conſiſtere ſeor
ſum & per ſe poteſt, id nullius vn-
quam alterius fuerit differentia, ſed
quod alteri accidit nec ſeorſum per
ſe cõſiſtit. Atqui phlegmone, eryſi-
pelas,gangręna,putredo,ſeorſum &
per ſe conſiſtere poſſunt,nec alij ne-
ceſſario accidunt. Omnib⁹ vero vl-
ceribus neceſſario euenit vt ſint vel
parua vel magna,æquabilia vel inæ-
quabilia,recentia deniq; aut inuete-
rata,quas proprias eſſe vlcerum ſim
plicium differentias paulo antè di-
ctũ eſt. Alio rurſus modo vlcus cru-
cians & vlcus ſordidum, ceu quædã
vlceris differentiæ dicuntur.Cæterũ
compoſitum quoque quippiam hic
indicatur,ſed aliter quàm cũ dicitur
vlcus cum phlegmone : quippe hic
phlegmone eſt affectus,illic dolor &
ſordes ex genere ſymptomatum di-
cũtur.Pari modo & cum dicitur ca-

cochymum vlcus, aut fluxione vexatum, aut arrosum, caussa cum affectu copulatur. Verum finienda hoc loco nostra perioche videtur. Quãdoquidẽ quæ sequitur disputatio ex quarto Galeni Therapeutices commẽtario hanc rem multo fusius tractabit. Hac enim complexione præcipuus fuerat scopus de vlcere simplici ac eius curatione, simúlque rei vicinio vlceris caui sanationem per sarcotica quæ tum detergent tũ siccant circitèr ordine primo fieri vt caro tandẽ gigneretur: cuius materiã sanguinem, effectricẽ vero caussam naturã esse monstratum est. Quare colligendum fuit seruandam esse partis temperiem, vlcus autẽ siccandũ. Quãuis rei quãtitatem percipere admodum difficile sit. vnde sæpe cõtrarias oboriri indicationes, quas facile intelligat qui in hac Methodo aliquantisper sit versatus, ostensum est. Postremo seorsum curationẽ simpliciũ vlcerũ tradidimus, ac de cicatrice obducenda, carnísq; luxuriãtis consumptione: cui demũ de vlceri cõmixtis

affectibus compendiariam doctrinã addidimus.eam autẽ de ſimplicium compoſitorúmq; vlcerum proprijs differentijs huius perioches finis ex cepit.quem ſane lubẽs acceleraſſem, verum conſulto factum putauimus, ſi exactam ſimplicium vlcerũ & affe ctuum eis ſæpe adiunctorum diſci- plinam traderemus,quo facilius cõ- poſita perſanemus.

Finis tertiæ Perioches.

PERIOCHE QVARTI COM- mentarij Therapeutices Galeni.

Eſſe prius corrigenda vitia quę vlceris curationem impediũt.

VNitionis ſolutæ curationem eſſe coitionem proxime eſt monſtratum. Sed quia eam ſæpe impediunt qui ſimul adiungun tur affectus, nũc opportunum eſt de ijs orationem ordiri.Prius tamen in memoriam reducto,vnum eſſe mor- bi genus, vnitatis ſolutionem.quod ſibi varia ſortitur nomina: tũ à mul-

Variȩ vnitionis solutȩ caussæ.

tis caussis excitatur. Chymosis enim quædam dicitur, quæ sæpe fit cũ ruptione & contusione, quædam præterea ab anastomosi, diapedesi, anabrosi, id est erosione: quæ si intrinsecus ꝓuenit, vitiosi succi soboles est: sin extrinsecus, aut à valentibus medicamẽtis fit, aut ab igne. Sed de iјs alibi à Galeno traditũ est. vlcus enĩ, vt ad rem accedamus, nulla ratione curari potest, si pilus, arena, sordes, oleũ, aliúdve id genus extraneũ adfuerit. Præterea carnis subiectæ temperies, quȩ caussæ efficientis rationẽ habet, dum male affecta est, omnino vlcus glutinari non potest. Sanguinẽ præterea oportere esse, tum quantitate mediocrem, tum qualitate bonum, antea est monstratum. Atque hi tres ægre sanabilium vlcerũ modi videntur: qui ex intemperie carnis subiectæ prouenit, qui ex confluentis sanguinis fit vitio, ac demum tertius qui ex quantitate affluentis succi nascitur. Intemperies quidem carnis pura est, vel cũ humore, vnde excitatur tumor: qui prius est, vt affe

Ægre sanabilium vlcerũ triplex modus.

ctus cæteri, curandus. Si autem pars ita squalēs siccáque effecta est, vt vlceris labra coire non possint, fomentis humectabitur: humidior autem iusto si fuerit, siccabitur. ac ita in alia oppositione agendum erit. Verum hic potissimū agitur de affluxu succi in partē vlceratā, qui si nec multo copiosior iusto, nec multo deterior sit, reprimi auertíq; debet, adstrictis videlicet partibus propinquis, vinculis à particula laborante in sanā deductis, vt in ossium fracturis, tū etiam refrigeratis partibus quæ ante exulceratā particulā sunt, fieri solet. At ea quæ ad id admouentur pharmaca, valentius siccent oportet, q̄ ea quæ simplici parantur vlceri. Fluxus autem sisti ac compesci ijs sæpe nō potest vel ob partis imbecillitatem, vel propter sanguinis copiam, vitiosúmve succum totius corporis, vel partiū suppositarū, quæ omnia prius sunt corrigenda: imbecillitas quidem (quæ ab insigni intemperie cōtrahitur) ob frigus vehemēs, per calida: & contrà. ac ita demum in alijs

Quæ fluxūin partem arceri prohibent.

qualitatibus oppugnando affectum. Nam quæ per intemperiem aliquã à naturali habitu recesserunt, eorum sanationem per ea quæ cõtraria sunt vitijs, fieri omnino necessum est. Ad eundem modum si alicuius particulæ vitio, aut totius corporis, cũ in eo sanguis aut malus succus redũdat, influxus fiat in partem: medendum prius est vel ei quod fluxionis est caussa, vel etiam toti corpori. Etiam qui ex liene, aut quauis alia notabili parte laborant, ipsa prius parte percurata, mox ad eorum vlceris curationem accedemus. Cęterum intelligendũ est nullã harũ curationũ ipsius esse vlceris, sed alterius cuiuspiã affectus, qui vlcus vel gignit, vt partis intẽperies, & vitiũ humoris erodentis: vel certe fouet, vt affectus lienis, aut iecinoris, aut cuiusuis (vt est prius dictum) particulæ insignis.

Externam seu primitiuã caussam nihil ad curationem, sed ad affectus cognitionem conferre.

IAm tempestiuũ est mõstrare nullam externarum caussarũ curatio

nis indicatricem esse, sed huius indicationẽ ab ipso affectu initiũ habere: quæ vero particulatim sunt agenda, hæc tum ab eo quod prima dictat indicatio, tum vero ab ægræ partis natura, tum ambientis temperie, ac demum alia, quæ sunt ijs cognata, inueniri. Nam affectum præsentem curamus, futurum autẽ prohibemus, id vero quod iam abijt, vt est causſa externa, etiam si velimus, curare non possumus, quare ab hac indicatio sumi non potest, q̃uis empiricus vnam esse partem totius cõcursus arbitretur. Cæterũ si partim est affectus in fieri, vt dicunt, partim in facto esse, duplex proponitur scopus, nẽpe curandũ quod iã factũ absolutũq; est, prohibendũ vero quod est futurum. atq; ita potest quidem indicare externa causſa præcautionẽ, ea autem quæ iam abijt, nequaquã. quod omne tibi vno aut altero exemplo fiet manifestum. Finge igitur vulnus natum esse ab humore qui in brachium procubuit, nam eum esse vitiosum clarum est, ita enim natu-

Medici opus duplex.

Rei præsentis est curatio, futuræ autem prouidentia.

ra in morbis facere ſolet cũ corpus expurgat, omne excrementum trudit ad cutim, atq; hanc vlcerari, totũ vero corpus purgari accidit. huiuſmodi autẽ vlcus eodem modo atq; reliqua vlcera quibus nullus eſt adiunctus malign⁹ affectus, curari debet. vnde & clarũ euadit nullam eſſe ad curationẽ à cauſſa quæ vlcus excitauit, indicationem. Atqui ſi ſucc⁹ vitioſus, vnde excitatũ fuerat vlcus, remaneret, omnino ab hoc quoq; aliqua ſumeretur indicatio. Ea enĩ (ne ab inſtituto diſſiliam) quæ ſuccorũ vitio exulcerata ſunt, curãt ij qui ratione ac methodo artẽ adminiſtrãt, ſimul illos purgantes, ac ea quæ naturæ opus impediũt auferẽtes. Quorum vtraq; qui exacte loquitur, prophylactica vocat. Sed ne omnino eſſe negligendam cauſſæ externæ cognitionem putes, non parum certe facit ad eum affectum noſcendum, qui tum rationẽ, tũ ſenſum latet. quod in febre ephemera ſępe cõtingit, quę nõ ſemper primo intuitu ſtatim ab omnibus diſtinguitur. quare ſciſci-

tandum eſt ab eo, num ſub dio dormitarit, an liberaliori cibo aut potu ſit vſus, item vigilarit pluſquã ex cõſuetudine, aut quippiam tale ſit perpeſſus quod hanc febrẽ excitare ſolet. quòd ſi proculdubio idipſum adfirmarit, iam ab ea cognita cauſſa facile colligis prius tibi incognitum affectum.

De vlcere maligno ſeu cacoethe, quod parum apte curauit Theſſalus.

DIuturna vlcera vocauit Theſſalus quæ melius cõtumacia appellantur. quorum quædam non ſaneſcunt, quædam vero ad cicatricẽ ducta denuo reuertuntur. de prioribus quidem nũc agamus, quæ ita ſanantur Theſſalo: Quæ coitionẽ fieri vetant, inquit, tollito, ac locum affectum innouato. Poſtq̃ ſimile vulneri recenti ipſum feceris, rurſus vt cruentum curato. Quod ſi non proceſſerit, phlegmonẽ mitigato, ac reliquam diligẽtiã adhibeto. Hęc ſunt illius inſignis videlicet methodici verba, quę quàm inepte ſint appoſi-

ta longa oratione Gal. libro quarto methodi medēdi edocuit. vnde hæc pauca quæ ſequuntur, vt reliqua, deſcerpſimus. Principio enim hic errat qui à tempore indicationē curationis ſumendam eſſe cenſet. Nam vbi à malis ſuccis vlcus eroditur, diuerſam ex eo poſt quatuor menſes indicationem nō capiemus ab ea quam ſtatim initio ſumpſimus. Eſt ſiquidem ſtatim in principio vlceris ipſiꝰ cauſſa adimenda, non autē expectādum donec inueteratum ſit, vt poſtea locum nouemus affectum, & tandem vt cruentum curemus. Confert quidē tempus, vt eſt dictū de cauſſa externa, ad affectus agnitionem, nō autem curationis indicationē. Quid enim ad rem pertineat, ſi quod vlcꝰ inueterauit, adimere quę coitionem impediūt, & nouare locū, ſi propter malignam fluxionem vlceris labra male ſunt affecta, anteq̄ fluxioni ſiſtendæ conſulueris? Siquidem cauſſa manēte quæ ea dura calloſaq; reddidit, ex ijs excidendis nil aliud accedet, q̄ vlceris amplificatio: quippe

ſubito perinde afficientur atq; pri⁹. Quare hoc tanq̃ vetus dictũ in omni curatione ſeruandum eſt, nempe cauſſas quæ affectus creât principio eſſe abſcindendas. Fieri tamẽ poteſt vt ſola labrorum durities cauſſa ſit cur nõ in ſeſe coeant, vti & ſola partis intẽperies: poteſt rurſum & varix ſuperiacens, vel etiam alicuius partis inſignis vitium, præter hæc partis ægrę imbecillitas, ac maxime totius corporis vitioſus ſuccus. Nec min⁹ vlcera vexat ipſa plethora, id eſt, omniũ ſuccorum ex æquo inauctorum exuperantia: quæ certe omnes cauſſæ dum ſeorſim aut aliquãdo inuicem permixtæ vulneri adiũguntur, prius ſunt auferendæ, quam finem tuum in hac re conſequi poſſis. Quòd pręterea dixerit vetus vlcus vt cruentum eſſe ſanandũ, longe fallitur. nam recens vulnus ſine alio affectu ſolis adſtringentibus & ſiccantib⁹ tertio libro curauimus. Sed hoc cacoethe vlcus neceſſario cauũ eſt, cauitas autem prius oppleri debet: qua ratione multũ differt à cru-

Cauſſæ vlceris coitionẽ impediẽtes.

entorum vulnerum curatiōe, ſed de ijs quæ nō facile ſaneſcūt hactenus: nunc vero de ijs quæ denuo reuertūtur, reliquam Theſſali dictionem adſcribentes.

De vlcere obducto cicatrice, ac denuo redeunte.

DVm vlcus ſe rurſum aperiret monebat Theſſalus ſimiliter eſſe curandū ijs, quæ recenter phlegmone vexata ſunt, tum malagmate ex ſinapis ſemine circumpoſitis partibus ruborem excitandū, tū demū totum corpus curandum, vociferatiōibus, geſtationib⁹, citato etiā ex radicula vomitu, ac tanq̄ ſupremum, veratro dato. Sed q̄ inepte à Theſſalo ſint hæc inuecta ſatis per ſe clarum eſt. Nam ſępe quod influit natura acre eſt, nec medicamētis rubrefieri poſtulat: alioqui tota particula erodetur ac exulcerabitur. Si vero ea imbecillis foret ob inſigne frigus, aut plurimum humorem citra vehementē calorē, optime procederet curatio per rubrificātia. Quocirca diſtinguendū erat prius, an mali-

gnũ erat vlcus ob partis intẽperiem vel propter fluxionis malitiam, an deniq; totius corporis vel partis ei⁹ vitium. Nam cũ ita ſinapi particulã exuſſeris, iubet Theſſalus ad totius corporis curationẽ accedere, inuerſo certe totius rei ordine. nam cum ſinapis (vt & reliqua talia) ritu cucurbitulæ trahat, profecto niſi prius totum corpus commode purgaueris, materiã fluxionis acri medicamẽto relinques. Sed rem totam hoc vno exẽplo ob oculos ponimus: Eſto aliquis ſanus, ſed ex ſcabendo brachio puſtulam excitarit, quod iterũ atq; iterũ pruritu vexetur, ac tandẽ puſtula dirupta vlcus decolor inæqualiter eroſum gignatur, atque hæc in tribus quatuórve dieb⁹ à principio inciderint. Hoc equidẽ vlcus cacoëthes eſſe dico, atque ob id corporis affectũ cõtemplari oportet. inuenietur nanq; ex ipſius vlceris accidentibus, tum ex corporis notis, vt eſt color, tumor, diſpoſitio, aliáq; plurima quorum meminit Gale. libro de plenitudine: cuius maxime generis ſit

Exemplũ de vlceris cõtumacis curatione.

is qui redundat ſuccus. atque hunc protinus medicamento educere fas eſt. Nec eſt expectandum, donec totus hominis cubitus contumacē rebellémq; curationi affectum ſibi cōtraxerit, quod factitaret Theſſalus, qui nō poteſt intelligere vlceris malitiam, niſi in multos dies ipſum protraxerit. Verū id miri nihil eſt, cum in febribus quoque grauius erret, dum tertium diem expectat, vt videlicet intelligat futura ne ſit eo die acceſſio. Ac interim illam quam primus inuexit diatriton, id eſt tridui inediam imperat, qua hominem in lectulo miſere tabefacit: ac qui primo die poterat explicari, vix ſeptimo ad ſua redit cōſueta munia. Principium vero huius erroris eſt, quod affectum non dignoſcit, à quo, vt eſt prius dictum, omnis in curatione ſumitur indicatio. quæ certe via eſt, quæ ab eo principio ad finem vſque ducens, in cunctis particularibus curationibus ſimilis eſt. Quare etſi in ſingulis morbis priuata quædā methodus ſanandi videtur, commune

Error Theſſali in curandis febribus.

tamen in omnibus genus eſt vnum. Auſpicari nãque ſemper oportet ab indicatione quæ ab affectu cui mede mur, accipitur: æſtimare vero ac inquirere an cauſſa quæ affectum exci tauit, iam deſierit: an nunc quoque ipſum tum augeat, tum faciat. Si de ſijt, ad methodum traditam tertio li bro eſt veniendum: ſin adhuc facit, ad eam quam hic tradere paramus. Vbi ſimul eſt iam monſtratum tem pus ad curationem nil iuuare, ſed ex hoc quòd male affecta ſit particula, ea vlcerata licet colligere. hoc vero inuento, & curationis ratio cõſtabit. nempe vbi tantùm hæ partes ſunt affectæ, ſi has ſanaueris: vbi totum corpus vitioſo ſucco abundat, ſi hũc vacuaueris. Ac ſignum quidem ipſi us vitioſi ſucci ipſa eſt diuturnitas vlceris. Inuentio autẽ illius quod ex pedit, nõ ex diuturnitate, ſed ex ſucci vitio ſuggeritur. Quapropter hęc tria ita ſeſe habent ordine, ſignum, affectus, curatio. Signum quidẽ malitiei, ipſa diuturnitas. Affectus, ſucci vitium. Curatio eius, vacuatio. quæ

Cauſſa æſtimanda eſt.

Tria ordine habentia.

demum Hippocratis testimonio cō probantur.

Hipp. ab ipsius rei essentia, non autem temporis diuturnitate indicationē perpetuo cepit: qui vlcus semper siccandum esse, (nisi pus quàmcelerrimè generari oporteat) suadet.

MVltis iam rationibus cōfirmatum reliquerat Gal. primā indicationē in curatione ab affectu esse sumendā, non autē à tēpore, quod ad affectū noscēdū duntaxat iuuat. Verū suā rem stabiliēdā putauit Hippocratis testimonio, qui statim in principio libri, quem de vlceribus cōscripsit, sic ait: Vlcera madefacere, quæcunq; ea fuerint, nisi vino non oportet. tū caussam adijciens inquit: Nam sano siccum vicinius est: humidū vero non sano. & mox: Vlcus enim humidum est, sanū autem siccum. nam vlceris sanatio, mediocris est siccatio: quæ nulla ratione esse rursum potest, si quispiā simul adiunctus affectus prius nō curetur. Quare per totum librū cū totius vlcerū curatio-

Hippocrates.

nis finẽ ſtatuat ſiccationẽ, mox par-
ticularia inuenit, etiã finis ipſius nos
commonefaciens, dum ait, omne vl-
cus cæſim percuſſimve telo acuto di
uiſum, medicamentis enæmis ac ſic-
cantibus eſſe curandum. Sin vero ali Contuſa
qua caro telo tum cæſa, tum contuſa caro ſup-
ſit, huic ita medẽdum eſt, vti quàm puranda
celerrime ſuppuret, cũ ſit neceſſum eſt.
carnes ſic cõtuſas putreſcere, vt tan-
dẽ noua gignatur. hac dictione Hip
poc. ſolos eos vlceratarum partium
affectus non eſſe ſiccandos oſtendit,
in quibus quamcelerrime pus gene-
rari cupimus, docens obiter cum ali
qua putreſcentia ipſum fieri. Porrò
omnia quæ putrent, ex calido & hu-
mido, vt docuit Ariſtoteles, ſic affi-
ciuntur. Ideóq; ea cataplaſmata quæ
ex hordei farina componuntur, ceu
quæ calfaciãt humecténtq;, puri mo
uendo ſunt aptiſſima: quorum item
materiã habes copioſam libro quin-
to ſimplicium: veluti ſunt galbanũ,
myrrha, ficus pĩgues, althea, chamę-
melum ex quibus ſic vnum mixtum
compone medicamentum. ℞. radicis

altheæ, cucumeris agrestis, singulorum vnciã semis, origani agrestis, hysopi, ana manipulum semis, florũ chamæmeli, seminis lini, ana pugillũ vnum, ficuum pinguium, passularum mũdatarũ, ana numero sex: vnà bulliant, ac tandem ijs pressis ac diligẽter tunsis adde galbani, myrrhæ, styracis liquidi, œsypi, ana drachmã vnã semis, sanguis draconis, adipis porci, ana vnciã semis: componatur malagma. Habes præterea ex Galeno hoc cõpositũ medicamen ad suppurationẽ libro septimo de cõpositione pharmacorũ quod vocat διὰ μελιλώτου. ℞. meliloti manipulos tres, spicæ celticæ, cyperi, cardamomi, ireos, myrrhæ, ana drachmas duas, guttæ ãmoniaci drachmã vnã semis, terebinthinæ drachmas tres, croci drachmam semis, ceræ lotæ quãtum sufficit pro emplastro. Verum si quis plura desideret, voluat ibidem Galenũ, Scribonium Largum, & Principem: nam hic sufficiat vnum aut alterum adscripsisse exemplum, quare ad rem redeo. Ex Hippoc. igitur monstratũ

Auic. fen 3. quarti.

est,omnia vlcera esse siccanda præter ea quæ cõtusam simul haberent carnẽ: in quibus tum calfacere, tum humectare oportet, non autem vt dum phlegmone adest quæ siccãtia sua ratione postulat, vt verbascũ coctum, trifolium, epipetrum, & polium, verum sæpe illi paramus calida tepide, & humida, non quidem ad curationem, sed ad symptomatis mitigationem. Compendiaria enim partium phlegmone obsessarũ curatio per ea præsidia obitur, quæ vel affectũ prorsus submouent, vel si quid exiguum reliquerint, alterum medicamẽtum acre, quod educere pus queat, requiritur, vel si tenuis sit cuticula, sectio petenda est.

Ab affectus magnitudine indicationem sumi, quem vehemẽtem reddit partis præstantia, symptomatum magnitudo, ac affectus malignitas.

MOrborum proprias differẽtias nõnihil indicare in curationibus, libro tertio docuit Galenus, quare cum necessario vlcus sit vel par-

uum vel magnum, erit hinc ſumenda indicatio. nam magnitudo morbi magnis indiget præſidijs: ea autẽ ſunt, ſanguinis miſſio, ac purgatio. de miſſione igitur ſanguinis, nũc agamus, paulo pòſt vero de purgatione. Phlebotomiæ enim duos eſſe ſcopos author eſt Galen⁹: morbi vehementiam, & virium robur: qui dum adfuerint, etiam quacũq; hora, vt eſt demõſtratũ libro de ſanguinis miſſione (non expectata empiricorũ ſyndrome) audenter venam ſecabis: fit enim ſæpenumero etiã dum quis ſano ſit corpore, & abundantis ſanguinis expers, vt cogamur ipſum imminuere: quemadmodũ fieri ſolet in ijs qui ex alto ſunt prolapſi, aut quadã plaga contuſi: ne ſanguis in corpus imum refundatur, qui aut multitudine, aut coitu, vitæ periculum tandẽ inuehat. Nec ſunt audiendi illi triobolares medici, qui dum adeſt ſanguinis abundantia, protinus eſſe ſecandam venam iubent, cum nonnullis ſatis ſit inedia, alijs exercitatio, frictiones aut balnea. Ita nec purga-

Sãguinis mittendi geminus ſcopus.

tio in sola vitiosi succi abundãtia cõuenienter suscipitur, sed propter alterius succi abundantiam, & morbi magnitudinem. Quare dum sanguis abundat, euacuari: si autẽ succus aut flauus aut ater seu denique pituitosus, purgari medicamẽtis debet. atq; id tum de vlceribus, tum alijs affectibus esse intelligendum ex Hippocrate colligitur, dum ait: Omni recẽs facto vulneri, nisi in ventre sit, expedit ex ipso sanguinẽ statim plus minúsve effluere, quare si per naturam satis non effluxerit, quod deest, ipse adijcias oportet. Sed ne id pro solis vulneribus recens factis quis putet esse dictũ, mox subijcit: Et ab inueteratis sanguis crebro fluat, efficere prodest, vel etiã à circumpositis partibus. Atq; ita demum in memoriam reuocãdum est quod alijs locis sæpe est monstratum. Incipientem fluxionem ad contraria esse attrahendam per antispasin. Fixã vero iam in particula laborante, vacuandam esse, vel ab ipsa parte, vel à maxime illi vicina: quare reuulsio ad longinqua, de-

Reuulsio Vacuãdi modus.

riuatio vero ad propinqua fit. Vnde iam clarũ relinquitur in magnis vulnerib⁹ siue recẽs natis, siue inueteratis, mittẽdum esse sanguinem, si duo scopi præpositi suadeant. Purgandũ vero esse aliquando, Hip. testimonio probatur dum inquit: Purgatio per » aluum plerisq; vlcerum prodest, prę- » terea vulneribus capitis, itémq; ven » tris & articulorum, ad hæc in quib⁹ » caries ossi impendet. Præterea quæ » suuntur & exedũtur, & quæ serpũt, » & reliquis quæ vlcera diuturna red- » dunt, etiam quæcunq; deligãda sunt, » per aluum purgari debent. His ver- » bis & alijs clare docet ex magnitudine affectuum sumendã esse indicationem, quos vehementiores reddũt partis excellentia, symptomatũ magnitudo, ac eorundem malignitas.

Purgandum esse.

A partis sensus acrimonia, & hebetudine, eiúsq; positu & figura, sumendam esse indicationem.

COnsummatius in sequẽtibus de indicatiõe quę ab ętate sumitur ac humoribus sanandis dicetur, nam hactenus de ea quæ à partium natu-

ra, & morbi tũ eſſentia, tum magni-
tudine dximus. Quæ vero tum à po
ſitu, tum à forma, itémq; vſu, præter-
ea ſenſus acumine, hebetudinéve in-
dicatio ſuggeritur, quantũ ſit ad vl-
cerum curationem vtile, oſtendetur.
Particulæ enim ſenſus acutioris, mi-
tiori pharmaco: obtuſioris vero ſen
ſus, valentiori ſunt curandæ, quanuis
eadē ſit methodus in omnibus mor
bis. Et principis quidem membri ro
bur ſeruari oportet, quod vero tale
nõ eſt, relaxãdo remittẽdóq; mitiga
ri poteſt. Verũ de ijs poſthac fuſius
tractabitur. A poſitu ergo excogita-
tũ eſt vt ventriculus exulceratus per
ea quæ bibũtur & edũtur: gula vero
per ea quæ tum craſſitie, tum tenaci
tate, illitu diutius manente ſanetur.
Nam cum ea ſit bibitorum cõmeſto
rũmq; via, remedijs eget quæ adhæ-
rere, & vndiquaq; quaſi concreſcere,
& agglutinari poſſint: non autẽ quæ
elui deflueréque ſint prõpta. Vlcera
vero inteſtinorum craſſiorum curãt
clyſmata: quę vero in tenuibus habẽ
tur, quoniam & lõginquiora ſunt, &

medio ſitu poſita, ambo requirũt, & quæ ſuperne ſumũtur, & quæ per ſedem infunduntur. Communis ſane omnium partium internarum eſt, vt ea eligantur quæ maxime ſunt animalis naturæ familiaria: vitentur autem contraria. nam quædam externis vlceribus ſunt accõmoda, internis vero inimica: qualia ſunt, ęrugo, æs vſtum, æris ſquama, cadmia, põpholyx, lithargyrus, & ceruſſa. Sunt autem aptiſſima vlceribus internis curandis tum auſtera, tum glutinoſa, tum minime rodentia. Si vero detergendum nobis ſit, mel optimũ ad id fuerit nõ coctum. Ad glutinationem quidem optime faciunt, hypocyſtis, balauſtiũ, cytini punicorũ, galla, malicoriũ, bolus armena, tum rhois, roſarúmq; ſuccus, & acacia, aliáq; id genus: nec vllum incõmodũ inferunt. quæ quidem ex aliquo decocto adſtringentiũ danda ſunt hac formula quæ ſequitur. ℞. Sũmitatũ rubi, myrti, œnanthes, ana manipulum vnũ, roſarum rubearũ, rhois, id eſt, ſumach, ana pugillum ſemis, ba-

laustij vnciam semis: fiat decoctio in vino rubro austero (si nulla sit phlegmones suspicio) ad librã semissem. In qua misceatur hypocystidos drachma vna semis, boli armeniaci drachmę duæ, mũmię, sanguinis draconis, ana drachma vna, sirupi cydoniorũ vncia vna semis: misce, & seruetur in vsum. Verũ aduertendũ est similem indicationem esse ab ipsius trachiæ arteriæ affectu, vt videlicet quippiã transcoletur in eam, ac veluti aqua iuxta murũ, ita liquor iuxta arteriæ tunicas sẽsim illabatur. Adhæc quoniam pulmones & renes aliæq; partes longe distant à ventriculo, est opus valentioribus medicamentis, ne in via suas vires remittant: atq; ita egent medicamine tenui & calido, quod vehiculi modo, ea pharmaca in partes profundius deducat.

Pro sãguinis vomitu.

Pręceptũ de cõponendis pharmacijs.

Ecchymomatum curatio, indicatione capta à situ partis.

FIguram itaq; ac positum indicare iam clarũ est. nam cõmode deligare partem ægram nemo potest, nisi prius vel ex positu, vel figura, vel

vtriſque indicationẽ ſumpſeris. Sed nec immittere clyſteris fiſtulã in ſedem, vel inſtrumentum quod græci cathetera vocant, in veſicam per penem apte queas. Præterea in ruptis, quæ rhegmata dicuntur multæ concurrunt in idem indicationes. Nam propterea quòd & in profnndo corporis ſunt & latẽt, idcirco diuerſam curationem ab ijs quæ apparent poſtulabunt. cum præterea ſæpe conſiſtant cum ecchymoſi, plures indicabunt curationes. Semper enim pro affectuum numero medendi indicationes reſpondent. At de ijs omnib⁹ locupletius docebitur, vbi de phlegmone diſputabitur, ſimúlque monſtrabitur quòd valentiora medicamenta requirant quæcunque in profundis partibus laborant, quàm quę in ſummo corpore ſunt affecta. Ecchymoſis autem, de qua paulo ante dictum eſt, ſanguinis concreti ſubter cutem, ac contuſæ carnis euacuationem indicat. curatio autem fit, etiam Paulo Ægineta referente, dum per initia aliquid aſtringentium miſce-

Ecchymomatis curatio.

tur cum digerentibus, eò quod contusæ sunt venularum tunicæ, quæ adstringi postulant, Verùm non est vtẽdum valenter digerentibus, ne substantia tenuis educatur, maneat autẽ crassior, scirrhosis affectibus generãdis accõmoda. Sed hic de vlceribus sermo finiendus est, simúlque liber quartus claudendus. Quoniam iam satis ostensum est corrigenda prius esse vitia, quę vlceris curationem impediunt, ad quę nil conducit externa caussa, nisi forsitan ad affectuum cognitionem iuuet. vnde longe errauit Thessalus in vlcere maligno, seu cacoethe curando, qui à tempore indicationem sumendam esse arbitraretur, quod sane falsum esse Hippocratis testimonio probauimus: quando ab ipsius rei essentia curando omnis duceretur prima indicatio: post eam vero locum habere, affectus magnitudinem, ac tandẽ partis sensum hebetem vel acutũ, eiusdẽ positurã & figuram vnius ecchymomatis curatione est demonstratum.

Enumeratio.

Finis quartæ Perioches.

PERIOCHE QVINTI COMmentarij Therapeutices Galeni.

De caussis hæmorrhagiæ ex venarum vlceribus.

QVoniam igitur de ijs maxime vlceribus quæ in partib⁹ carnosis accidũt, hacten⁹ tractauim⁹: nũc de venarum, arteriarúmque in quauis particula solutiõe dicetur: ac primo de vena, tum demũ arteria: quoniam ab eis sępe tam magnum emanat sanguinis profluuiũ, vt vix in illa, in hac vero penè nunquam vuln⁹ coalescat. quare de vtraq; simul est dicendum, prius tamen de sanguinis profluuio, secundo de vtriusque agglutinatione. Profluit autẽ sanguis ex vena aut arteria, earum tunica diuisa, aut reserato earum ore, aut denique sanguine (vt dicitur) transcolato. Diuiditur tunica vulneratione, cõtusione, ruptura, erosione. Oris apertio fit ob vasis imbecillitatem, ruentis impetum, humoris acrimo-

Caussæ hæmorrhagiæ.

niam. transſcolatur ſanguis, rarefacta tunica, ſanguine tenuato, gracilium vaſorum apertione. Dicendũ eſt autem ſeorſum de ijs, primum vero de tunicarum diuiſarum cauſſa ex vulneratione quæ eſt à corpore acuto & ad ſcindendũ habili. Contuſio vero eſt à corpore duro & graui in rem mollem, vt eſt caro. Rupturæ autem multiplex eſt cauſſa: Tenſio, ſuccorũ abũdantia, caſus ab alto, actionis vehementia, vt clamor, ſaltus, tractus, præterea onus graue, ac denique flatulentus ſpiritus. Iis itaque ſic ordine præſcriptis, tãdẽ ad vniuſcuiuſq; curationem ſeorſim accedendũ eſt, ac maxime ad ſanguinis profluxum ex tunicarum qualicunq; diuiſione.

De ſupprimendo ſanguine ex vaſorum ſanguineorũ ſectione, in ſuperficie corporis.

HAnc vnã eſſe in omnibus morbis curandis methodum ſæpe iam à nobis dictũ eſt, & vt cauſſam præſentem tollamus, præteritã vero negligamus, niſi forſan, vt eſt dictũ, ad cognitionẽ affectus iuuet. Quare

videndum eſt an fluentis ſanguinis adſit, vel iam abijt cauſſa. adeſt quidem ſępe dum fluit ob abundantiā, quocirca imminuēdus eſt ſuccus. abeſt vero dum ex vulnere, cōtuſione, clamore, aut caſu perruptū vas eſt. Quare hic ſolus erit curād⁹ affect⁹, atq; ita primū ſanguinē ſupprimere expedit, exinde vlcus ſanare. hoc autē fit, obturato quod perruptū eſt: illud vero, eo auerſo, atque aliorſum cōuerſo quod per id ferebatur. Auertitur ſanguis tū deriuatione ad proxima, tum reuulſione ad contraria. vti cum hypochōdrijs affigitur cucurbitula, ſanguinis ad nares impetum reuocat: ſicut & immodicū ab vtero effluxum. Atque in ſumma, reuulſio moliēda deorſum eſt humoribus ſurſum fluentibus, & contrà: intro etiā vergentibus, foras: ac rurſum forasruētib us, intro. Sin ad dextrā inclinēt, ad ſiniſtrā: ad ſiniſtrā vero abeūtibus, in partē aduerſam: ac ita deniq; in reliquis eſt faciūdū. quod Hippocratis teſtimonio Aphoriſmorum libr. 5. cap. trigeſimoſecū-

Sanguis primo ſupprimendus, ſecundo vlcus ſanandum.

Libello de reuulſione.

do comprobatur, vbi ſcribitur: Mulieri ſanguinem vomẽti menſes ſuperueniẽtes remedio ſunt: quare naturã artifex medicus imitari debet. Verum non importune hic notandũ eſt, reuulſionẽ euacuatoriam, aut deriuatoriã eſſe: illam quidẽ, dum morbus adeſt, vel dum imminet. ſi morbus adeſt rurſus, fluxit humor totus, vel adhuc fluit: quod fluxit & hæſit, vacuandum aut deriuandũ eſt: quod fluit, reuellendum per phlebotomiã aut medicamẽtum. Vacuatio autem fit ſæpius dum hæret humor, per digerentia. Atq; ita demum omnes fluxiones (quippe promiſcua eſt ratio) tum ad cõtraria reuocabis, tum per vicina deriuabis: vtiq; quæ per aluũ fluunt, ea vel per vrinas, vel vterum: quæ vero in oculis, aure vel palato fluxiones accidũt, per nares deriuari poſtulant. Sed eandem habere tum reuulſionis, tum deriuationis rationẽ ipſas frictiones & ligaturas, ac naturalium meatuum, qui ex aduerſo poſiti ſunt, recluſiones, ipſa dudũ probauit experientia. at de ſanguinis a-

Ex libro de ſectione venarum.

uersione hactenus. nũc vero de vulneris occlusione, quę fit vel labris dissidẽtibus in idẽ adductis, vel osculo vulneris obturato. Adducũtur siquidẽ vel nostrarũ manuũ opera, vbi sic ad manũ vlcus se exhibet: tum per deligaturam, tum per adstringentia & refrigerantia præsidia. non enim aut venam, aut arteriã suere fas est. Obstruitur autem vasis osculum sanguine cõcreto, vel ijs quę foris illi imponuntur. Possunt autem superimponi tũ carnosæ partes vulneri propinquæ, tum in nõnullis vulneribus ipsa cutis, adhæc & linamenta (tentas galli vocant) & medicamẽta quę sua lentitia meatus obstruunt, tum pterea caustica medicamina, seu (vt vocãt) potentialia, vt est ærugo, chalcanthum, atramentum sutorium, id est, vitriolum, multáq; alia, quorum materiã tradidit Galenus libris simplicium: seu denique actualia, vt est ferrum candens. ex quibus omnibus fit eschara, quæ vice operculi vlceribus excogitata est. Postremo de genere obturantium quodammodo est

Vulneris arteriarũ & venarum curatio.

vinculum ipsis profluẽtibus vasis in-iectum, ac ipsi nostri digiti, dum ea cõmittunt, stringúntque: de ijs autem vinculis nunc perstringamus, postea autem ad emplastica, & escharotica medicamina reuertemur.

De venarum & arteriarum deligatura, ac emplastico medicamine.

NOn omnibus venarũ vlceribus vinculo succurritur, sed duntaxat ijs quę ipsis magnis venis insũt: quæ rursum aliquando veluti & arteriæ præscindi debẽt, præsertim dũ ex profundo loco recte assurgũt, ac maxime per angustas vel principes particulas. Quippe ita retrahitur vtrinque pars vtraque, ac celatur & tegitur superiacentibus corporibus vulnus. Tutius tamen est & vinculũ versus radicem vasis venæ (dico) vel arteriæ inijcere, & quod deinceps habetur pręscindere. Certum est tamen sanguinis profluuium ex arteria sisti aut iniecto vinculo, aut ipso vase præciso. Nec est quod hic vereamur an arteria coalescere possit, quũ

De arteriarũ sectione vide finẽ libri de curatione p phlebotomiã.

sæpe Galenus grauissimos dolores pulsatorios curauerit secta arteria, in qua spiritus flatuosus esset inclusus, fluxúmq; compescuerit obducta videlicet arteriæ osculo carne, de qua paulo pòst latius dicetur. quare ad venam redeo. à qua si tam immodice fluat sanguis, vt obiter non sistatur, certe ipsum supprimere citra vinculũ tentãdum est, aliquo ex ijs quæ enæma, id est, sanguinem supprimentia dicuntur. sane horũ optima sunt emplastica ea quæ ex resina frixa, & farinæ triticeæ tenuissimo polline, & gypso, alijsque id genus, sunt confecta. Quo genere certe cruentorũ medicaminũ potius est vtẽdum, q̃ eorum quę crustã seu escharam moliuntur. Quippe ex ijs periculum est ne si procidat crusta, rursum sanguinis hęmorrhagia excitetur. Optimum autem omniũ ad sanguinem compescẽdum medicamẽtum, & quod in primis commẽdat Galenus hoc libro quinto, ac in fine libelli de sanguinis missiõe, hoc est: ℞. thuris candidi, mollis, & gũmosi

vncias duas, aloes lotæ vnciam vnã, candidum oui: ac ſimul omnia ſubigito, eáque tandem molliſſimo leporis pilo in vſum excipito. vbi autem copioſe vlceri & vaſi ipſum impoſueris, alligabis forinſec⁹ faſciam ex tenui linteolo, duces tamen verſus ipſius vaſis radicem, vt in reliquis deligaturis præcipimus vaſorũ pene oĩm. ideo pene omniũ dico, ꝓpter cerebri mẽbranas. nam vbi ab eis fluit ſanguis, potius verſus illas eſt deligatura molienda, ne copioſius ſanguis fluens nullã relinquat animalibus ſpiritibus gignendis materiam. Si vero tertio die adhuc medicamen tuto hæret vlceri, aliud rurſũ ſuperimpones, ac madefacies illud, velut linamentum ex pilis leporinis factum, ac denuo vt prius deligabis. at ſi hoc ſponte deciderit, ſimile iterum applicabis, radicem vaſis blande comprimens digito, quatenus nihil confluat: ac manu altera velut ſuſpenſa medicamentum vulneri coaptabis. Ad hũc modum quoad carne muniatur curabis vas ipſum, vti-

Deligandi mod⁹.

que ſemper particulam ſupinam detinens, ſeruato tamen in hac ſitus figura modo. Nam figura ſitus plerũque dolorem excitat, quo uno nihil eſt quod profluuium magis proritet, & phlegmonas augeat. Quare blande hanc affectam partem tractabis, & antequam medicamen prius impoſitum decidat, carnem productam eſſe expedit, maxime vbi eſt arteriæ vulnus. quocirca medicamenta exquirenda ſunt tum emplaſtica ad obturationem. vt eſt thus, tum ad leuem deterſionẽ, vt eſt aloe, ex quibus eſt compoſitum hoc medicamẽ quo vtitur Galen⁹ & ad ſphagitidas & arterias aliarum partium, multa ſunt quoque emplaſtica medicamẽta quæ citra dolorem talia ſunt, ſed non ita carne implent.

Eſcharam ſæpe gignẽdam, dum vrget neceſſitas.

NOnnũquam tam vehemens eſt ſanguinis fluor, vt etiam cruſtificis medicamentis vtendum ſit. verum ea non ſunt admouenda, niſi diligenti cura proſpexeris an quicquã

mitius auxiliari possit. Nã hæc partem carne nudam relinquũt, atq; ita magnum est periculum ne si crusta deciderit, maior erumpat sanguinis fluor. Tamen quũ (vt iam est dictũ) nos ita frequenter solicitet, & premat necessitas, certe non erit negligendus aliquando eorum vsus. Verũ quisquis in his methodo omnia administrare volet, is tũ modos omnes quibus sanguis supprimatur longe cõsiderabit, tum eum eliget qui minus cum periculo erit. Quare quum sit formidãdũ ne præceps ruat à vulnere crusta, præstabit ea admouere medicamenta quæ cum sint vrentia vim quoq; habeant adstrictoriam, vt est misy, chalcitis, atramentum sutorium, ærugo, & plurima alia, quæ vero ex calce viua cõficiuntur, ea vti que valẽtiora ijs sunt, cæterum vim adstringendi non habẽt. quocirca ad id optimum erit hoc compositũ medicamentum à Galeno vocatũ libro de compositione pharmacorũ quinto Ischæmus magna. ℞ misyos, vitrioli albi, anã vnciam semis, corti-

cis pini, thuris & mannæ eius, squa-
mę æris, ana drachmā vnā, æris vsti,
chalcitidis, ana drachmas sex, calcis
viuę drachmas duas semis, gypsi tor
refacti drachmas tres semis: tritis vti
tor. Multo plura describerem, sed lo
cum indicauisse vnde haurire possis
sat est. Longe tamen satius esse no-
tabis, si carnem prius generare pos-
sis in profundo iuxta vasis apertio-
nem, quæ efficiatur veluti operculū
profluēti vasi. Vnde nec nosmet præ
cipites esse ad crustas (vbi hęmorrha
giæ periculum imminet) detrahen-
das oportet, nisi in illis affectibus in
quibus propter putredinem candēs
ferrū corpori hominis admouimus.
Appellant autem hunc affectum me
dici græci νομὴν à verbo νέμειν quod
pascere significat, propterea ꝙ pascē
do ab ægris ad sanas particulas ser-
pat. Porrò hunc affectum ex putre-
dine, quam sępius gignit erodēs suc
cus, oriri, theorema est medicū. Qua
re cum & pudenda, & sedes tempe-
ramento sint humido, tum canales
quoq; sint excrementorum, certe fre

quenter putredine vexantur, atq; idcirco sæpe eſcharoticis indigẽt præſidijs. Verum de ijs quæ in ſuperficie corporis apparent vaſorum vlceribus hactenus, nunc autem ad ea quæ latent in profundo, ſerie dictionis agamus.

De vaſorum ſanguineorum vulneribus in profundo corpore.

SAnguinis profluuia ex profundo corpore non deligaturis eſcharoticiſve medicamentis compeſcimus, ſed reuulſione, deriuatione, animi deliquio, cibo potúq; qui & emplaſticam vim habeant, & refrigerent: tum poſtremo medicamẽtis quę adſtringant. Indicatio vero à partibus ſumpta, omnibus quidem quæ prius dictę ſunt indicationibus curãdi veluti auctarium in ſingulis affectibus accedit. Siquidem inſtrumentis aliquãdo vtimur pro partiũ proprietate, alijs ad vterũ, alijs ad veſicã, vt eſt illud quod gręci catheteragalli vero chirurgi gargariã vocant, alijs ad inteſtina, vt eſt clyſter. Rariora ſane ex his partibus fiunt pro-

fluuia sanguinis, quæ quãuis ipsa ꝑ fusione multum non sint periculosa, ob diuturnitatem tamẽ citra periculum non sunt. Visæ sunt enim mulieres post editum partum perire ex immodico per vuluã sanguinis fluore. qui aliquãdo sistitur iniecto cum alijs ad id commodis medicamẽtis, plantaginis succo. Nam in his quæ ex vulua, intestinis, aut vesica citantur profluuia, æstimari debebit ipsius profusionis quãtitas, vt videlicet hanc iam vel vt primam, vel secundam curationis indicationem habeamus. Nam si perruptũ vas aliquod magnũ est, aut vehemẽter reclusum hiat, vtiq; adstringẽtibus medicamẽtis est opus, veluti balaustio, hypocistide, rhoe, ophacio, acacia, gallis immaturis, & malicorio. Sin exiguũ vas est perruptum, vel modice reclusum, ita quod modicus sit qui effluit sanguis, etiam aloe, manna, pini cortex, bolus Armena, spinę ęgyptię fruct⁹, crocum, & lapis hæmatites, aliaque id genus ex vino nigro austero vtilia medicamẽta sunt. Præterea dum

Profluuium ex ꝑrupto vase profundo.

nõ eſt ad manus hoc vinum, iuuabit decoctũ ex rubi ſummitatibus, myrti, lentiſci, & hederæ, ac denique ex omnibus vim adſtrictoriam habentibus. At ſi ex roſione fluor ſanguinis incidit, ſolet eſſe modicus: quare vel Paſionis, vel Andronis, vel Polyide paſtillis vtendum eſt, quos deſcribit Galenus de componendis pharmacis libro quĩto. ex Polyida ſic habetur, imminuta ſola ſimpliciũ quãtitate. ℞. Aluminis fiſſilis drachmã vnam, thuris, myrrhæ, ana drachmã vnã ſemis, chalcanthi ſcrupulos quatuor, citinorum drachmas tres, aloes drachmas duas, fellis taurini drachmas duas ſemis: cũ vino auſtero oĩa ſubigito. At vero profluenti particulæ extrinſecus non ſunt principio & frigida & adſtringentia medicamina adponenda, nam intro repellũt, & venas quæ in alto ſunt implent: vnde nonnulli ex refrigerato ſic thorace ob ſanguinem ex pulmonibus reiectum læſi ſunt, aut ventre refrigerato, dum ſanguinem vomerent: vti quibus ex naribus ſanguis profluxit,

Ex eroſione hęmorrhagia.

aliqui ex capitis refrigerio deterius habuerunt. ergo nec ſemper, nec ſine diſcrimine eſt ijs vtendum: imo poſtea quàm aliò fluxum auerteris, veluti eſt in ſanguinis ex naribus fluore, vbi gemin⁹ eſt auerſiōis modus, & ad inferna, & ad poſteriora, adhibita ſcilicet in ceruice cucurbitula. Verum de ſanguinis profluuio hactenus. Patet nanq; diapedeſin refrigerantibus, adſtringentibuſq; eſſe curãdam. Si vero propter ſanguinis tenuitatem incidat, craſſiore victu, de quo poſtea dicem⁹, curabit̃. Ergo quod venæ inſedit vlcus, vbi ad manum eſt, eandem deſiderat curationẽ ijs quæ in carne accidunt. nam ſi ex recenti vulnere eſt factum, vnietur enæmis, id eſt, ſanguinem ſupprimẽtibus. Si autem ex eroſione, quæcunque de contumacium vlcerum cura tione ſunt dicta, erunt prius ratione diſcernenda: mox vt opere perficiantur tentanda. Quinetiam vbi vinculo vas ſis complexus, aut medicamẽtis enæmis, aut candentibus ferramentis vſus, illúdque tibi curationis

Diapedeſis.

propoſitum reſtet, vt quæ ſunt circa vlceris labra carne impleas: iiſdem medicamentis vtere, quæ in methodo ſinuoſorum ſeu cauorum vlcerũ ſunt præcepta.

Arteriam experientia & ratione coaleſcere probatur.

PEr ſomnia monitus Galenus arteriam audenter ſecuit in grauiſſimis doloribus qui fiunt à flatuoſo ſpirituoſóque humore, vti fecerat in quodam miniſtro dei Pergami: ſecta ſiquidē arteria in ſumma manu, fuit ille diutino lateris cruciatu liberat⁹. Prȩterea arteriã in malleolo īciſam ob inflictũ vulnus cuidã iuueni idem curauit, vt refert libro de curandi ratione per phlebotomiam. Quare experientia clarum eſt, arteriam, ſi parua molliſq; fuerit, coaleſcere. In corporibus autem ſenilibus ac duris, arteria quoq; exiſtente inſigni, id fieri poſſe Paulus quoq; libro ſexto in totum negat. Nam cum dura corpora coitionem refugiãt, mollia vero hãc admittant, fit vt in puellis & mulieribus facile coaleſcant. medicamen-

De ſãguinis miſſione libro

ta autem quæ id præſtant, in ratione maioris ac minoris differunt ab iis quæ venis ſectis medentur. Quòd ſi carnem circà gigni eſt opus, eadem ambę requirunt. Quę vero in vtero, veſica, vel inteſtino ſunt vlcera, eadē plane genere medicamēta requirūt. Inſtrumenta vero pro ſitu figuráque partis, varia ſunt excogitanda: pro quorum ſpecie, remediorum craſſitudo variabitur. Nam per ea infunduntur non quidē dura & craſſa, ſed potius liquida. atq; idcirco mediocriter calida & ſicca magis ſunt idonea, quàm ea quæ liquabilia vocātur, quoniā facile vel plantaginis, vel alterius generis ſucco miſceātur: qualia ſunt pompholyx, crocus, aloe, & quæ cephalica, id eſt, quæ oſſium inueterata vlcera curāt, dicūtur. Dum autem eſt ſuppreſſus ſanguis, ac caro generāda eſt, Lemnia terra ſeu bol⁹ Armena auxiliū eſt ſalutare. Sed de arteriarū coitione latius diſputabitur in perioche tertijdecimi & quartidecimi commentarij Therapeutices, vbi ſimul de aneuryſmate quan-

tum ad eius caussam, ac generatio-
nem, docebitur.

De pulmonum vlceribus quæ
ægre curantur.

CLamoris, exercitij, casúsve vehe
mentia multísq; alijs de caussis
pulmonum vasa sæpenumero rumpi
solent, ipsiq; pulmones vlcerari: qui
profecto nisi prius curentur, quàm
phlegmone oriatur, omnino sanari
non possunt. Nam quod vnitur qui-
escere ac repurgari oportet. Verum
hi perpetuo ob vitæ necessitatē mo-
uētur dum thorax dilatatur. Præter-
ea nulla alia ratione purgari potest
sanies, q̄ per tussim quæ vehemēs est
motus, vnde vulnus denuo dilacera-
tur. adde quòd lōge distant. quapro-
pter medicaminum vires magna ex
parte exoluuntur priusquā illuc per-
reptent, postremo substantia cū sint
laxa & spongiosa, facile omnem de-
fluxum admittunt, qui maxime glu-
tinationi obsistit. Verū si quis prin-
cipio diligētem ac studiosum sit na-
ctus medicum, poterit quidem vlcus
sanari, alto prius imposito silentio.

Caussæ cur pulmo vlcerat⁹ ægre curari potest.

Secundo misso protinus sanguine, si vires suadeant, ex interna cubiti vena, non quidem semel, verum multis repetitis vicibus, auersionis gratia. Tertio vinciendi fricandiq; sunt artus. Postea vero posca seu oxycraton est propinandum, vt si quis cruor illic cõcretus sit, resolutus expuatur. Ab ijs vero aliquid eorum medicamentorũ quæ tum adstringunt, tum emplastica facultate obstruunt exhibẽdũ, idq; aut posca, aut ex malorũ myrtorúmve, vel alicuius eiusmodi adstringentium decocto. Rursúsq; vesperi hoc medicamentum similiter est dandũ, circunciso (si valentior sit) omni nutrimento: sin aliter, quidpiam sorbitionis exhibẽdũ est. Ac ita secundo die erit tractandus æger, mittẽdúsq; pariter sãguis, idq; faciundum vsq; in quartum diẽ: pectore interim malino rosaceóve, si æstas fuerit, madefacto: sin hyems, nardino. Si vero corpus sit molle, vt in pueris aut mulieribus, aptiss. erit illud quod primo de pharmacorum mistura Galenus διὰ χαλκίτεως voca-

Curantur vlcera pulmonũ

uit. Accipit autem adipis porci vnciã ſemis,olei veteris drachmas ſex, argenti ſpumæ vnciam ſemis,chalcitidis vnciã vnam: pila tunduntur in mortario cum palmarum ſucco. Sũt præterea alia non pauca quibus miſceri ſolẽt enæma medicamẽta, quorum meminit Galenus libro de eorũ miſcella. Atq; ita certe plurimos curauit Galenus, qui tamẽ prius illi ſeſe committerent, quàm alia inflãmatio eos inuaderet. Cæterum non minus te terreat, ſi non multũ ſanguinis tuſſiendo euomatur, cum poſſit thrõbus illic in aſperis arterijs concretus viam præcludere, vnde putredo phlegmonéque gignatur. Simili modo & ſepti trãſuerſi vulnera quæ foras non perueniũt, in carnoſis quidẽ partibus ſubinde coaleſcere ſunt viſa: quanquã, ſi phlegmone acceſſerit, ægre curationem admittunt: quę autem in neruoſis eius partibus hærent, omnino inſanabilia ſunt. qua ratione rurſum vix curãtur omnia quę in peritonęo contenta ſic afficiũtur: quòd in ea ſcilicet ſanies defluat. Por

Thrõbus in pulmonibus.

rò danda opera eſt, vt ea quacunque ratione ſiccemus, ſiue foris ſiue interius admouẽdo præſidia, tum per ea quæ ex aqua vinóq; tenui bibuntur. Præterea omnium maxime ad id eſt idoneum dia ſpermaton medicamẽtũ, quod recipit ſeminũ aniſi, fœniculi, ameos, ana vnciã ſemis, ſeminis apij, alterci, opij, ana drachmã vnã ſemis: quæ aqua tũdũtur ac in paſtillos formãtur. Sũt poſtremo tum alia liquida foris applicanda, quæ noſtra perioche latius explicare prohibet.

Eſſe obſeruandam naturam, ſitum, figurámque partis.

MIhi ſane repetendum non erat in diuerſis corporis partibus curationis ſpeciem immutandã eſſe, quoniam ad finem quartę perioches idpſum & experiẽtia & ratione fuerat demõſtratũ. Verũ quia Galenus hoc in loco prolixa admodum narratione iterũ probare contendit aliã eſſe in oculo, naſo, ore, vẽtriculo, pulmone, femore, ac pudendis curandi rationẽ, fore cõmodum putauimus, ſi vnum duntaxat ex eodẽ loco huc

traduceremus exemplum, de simplici vulnere auris, quod quidã Thessalius susceperat curandũ: qui principio medicamen ex cadmia apposuit, vnde putredo ac sanies copiose oborta est, non alia sanè de caussa q̃ quòd id nõ satis pro illius partis tẽperie siccaret. Secundo autem quum arbitraretur interius obortam esse phlegmonẽ, confugit ad Tetrapharmacũ, quod recipit colophoniæ, picis, resinę, cerę, seui taurini, singulorum partes æquas, vnde vim habet maturandi non siccandi. Ac ita demum aurem totam putridam reddidisset, nisi Galeni (vt refert) opera, fuisset restitutus: non quidem transeundo protinus ab iis medicamẽtis laxantibus ad arentia, sed paulatim ad valenter siccantia peruenit, quoniam parti siccissimę admederetur. Si vero potentiora desiderẽtur medicamenta, vt ad aurem quam vnũ aut alterum annum vlcus infestauit, optime fecerit scoria ferri tunsa cribratáq; leuiter, cum acerrimo aceto ad mellis sordiúmq; crassitudinem

Tetrapharmacũ cui additur tauri seuum.

decocta. Quæ autem vlceribus oris succurrunt humidioribus, egent valenter siccantibus, vti sunt iris, Anthera, diphryges seu per se, seu cum vino, melle, vel mulsa. quæ vero magis sunt simplicia vlcera, etiam modice siccantibus curari possunt, qualia sunt quæ stomatica ob vsum cõtinuũ dicũtur: vti quod paratum in officinis habetur diamorum, dianucum, ac pleraque id genus alia. Porrò dicta paulo ante sũt ad q̃uis partem idonea medicamentorũ genera, quibus vtendũ sit in singulis: genere quidẽ medicamenti ab ipsa curandarum partium essentia desumpto, sed cum affectu prius etiã æstimato: modo vero vtẽdi eius tum à forma, tum etiam situ. Hinc nanque auricularij vteriniq; clysteres, ac catheteres excogitati sunt. Hinc rursus quę in vẽtriculo, pulmone, ac pectore v cera constitere, per ea quæ eduntur ac bibũtur esse curanda intelligitur. Quæ vero intestina fatigant superiora, p bibita, & comesta: inferiora vero, per clysteres, quum

vtrinq; longa ſit via; vnde dum illã permearent medicamẽta, certe vim ſuã plurimum remitterent. Gemina quoq; ratione ventriculus expurgari poteſt, vomitu, & deiectione. verũ quum vomitus vehementi fiat motu, periculũ eſt ne & quod vlceratũ eſt dilaceretur, & ſuccus quiſpiã inutilis ex vicinis attrahatur, quo nomine vt dictum eſt pulmonis vlcera curatu ſunt difficillima, quæ niſi prius cicatrice obducantur q̃ phlegmone prehẽdantur, vt paulo ante dictũ eſt, omnino ſalus deſperata eſt, quanuis poſſit aliquãtiſper vita ꝓrogari.

De vlcere membranæ interioris, aſperæ arteriȩ, ac de Tabiarum lacte quod phthiſicis prodeſt.

SÆpenumero vulnus fieri ob eroſionem à ſpiritu vel humore acri in tunica interiori aſperæ arteriȩ nouerunt qui defluxionem mordacem à cerebro in pulmones, aut ex ardẽti febre ſpiritus quoq; acres perpeſſi ſunt. Veluti ille iuuenis qui Romæ nouem dies peſtilentiã paſſus, vt refert Galen⁹, toto corpore multis vl- Cauſſæ.

ceribus eſt affectus, ac eodē die pau-
lulū tuſſiebat. Poſtridie vero vbi ſe
lauerat, illico vehemētius tuſſiuit, ac
ita tuſſiendo cruſtulam expulit, quā
tum ex doloris ſitu & proprietate fa
cile erat intelligere reiectam eſſe ex
arteria quæ eſt in collo prope iugu-
Curatio. lum. Huic ſuaſit Galenus ne tuſſiret,
quod & fecit, eo certe facilius, quòd
exiguū erat quod proritabat: ac om-
nibus modis ſtuduit vt vlcus cicatri
ce obduceretur, appoſito foris ſic-
cante medicamento, eóque quod in
ore retentum roris modo in aſperā
arteriam trāſſumitur, ac ita eo me-
dicamine ad tuſſim facile moueba-
tur. Sed quàm potuit maxime eam
ſibi compeſcuit, qui ſponte triduum
Romę poſt diem nonū eſt moratus:
poſt hoc autem quarto die vect⁹ eſt
ad Tabianum collem non procul à
Neapoli vbi eſt lacte vſus, quo tandē
perſanatus eſt. Verum quoniā mirifi
ca eſt ad phthoen illius lactis natura,
Galenus locum ita depinxit, vt & ſi-
tum, & ſtirpes, aeriſque conſtitutio-
nem narrando non omiſerit, idque

vt in ſummam colligeret, lac quod
ex bobus,capris,aut iumẽtis quæ il-
lic veſcuntur, emulgetur, tum leni-
ter detergentẽ,tũ adſtrigentẽ,ac ſic-
cantem vim habere, quæ omnia vl-
ceratis partibus, maxime pulmoni-
bus, admodũ vtilia ſunt. At quoniã
non omnes regiones, illius montis
commoditate frui poſſunt, oportet
ſaltem eligere locum quàm fieri po-
terit natura,ſitúq; illi ſimillimũ, in
quem boues,capras, ac iumẽta abi-
gas:illicq; ſunto herbæ, agroſtis,id
eſt,gramen,& lotus ſylueſtris,quam
latini trifolium minus vocant,& po
lygonon,barbari cẽtinodiam dicũt,
ac deniq; meliſſophyllon ſeu citra-
go, meliſſam Galli appellant. Fruti-
ces vero ſint arbutus ſeu vnedo Pli-
nio,rubus & hedera, cytiſúſq;, Ro-
manis trifoliũ maius. aliíq; ſimiles,
quibus lac animantium, tum facile
alimentũ, tum vtile medicamẽtum
phthiſicis efficitur. verum notãdum
eſt ſummopere vt illud adhuc calore
animalis genuino tepeſcat dum bi-
bitur. quare lac muliebre lõge com-

modiss.erit gemina ratione, tũ quòd â mãmis mulgere æger non ita recu set, tum quòd temperamẽtum retinet humanum, vnde facilius in eius naturam vertitur. Secundas partes tenuitate sua asininũ, post hoc autẽ caprillum, postremas autem bubulũ lac in ijs affectibus obtinet.

De sanguinis è pulmonibus reiectione, ob catarrhi in eos defluxum, ac instrumentorum spiritus refrigerium.

QVemadmodum vas in pulmone ob lapsum ab alto, clamorem, pondúsve fractũ curari debeat, iam absolutum est: nunc vero de curanda hæmorrhagia eiusdẽ ob catarrhum est dicendum, idq; vnius generosæ mulieris Romanæ exẽplo, quã hac ratione curauit Galenus. Primo acrem iniecit clysterẽ (sanguis enim non fuit mittẽdus, quoniam quatriduum inediam ob catarrhum tolerauerat) tum crura manúsq; calfacienti pharmaco plurimũ fricuit, ligauit, mox caput abrasit, cui deinde medicamẽtum ex stercore columbino ad

Historia.

posuit, tribúsq; interpositis horis in balneum duxit ac lauit: idq;, vt spe- ro, ad rapiẽdum humorẽ ad cutim, reuellẽdo, sed caput non inũxit: dein pro eo qui tunc erat temporis statu caput pileo contexit idoneo ad cere brum roborandum, nutriuítq; sola sorbitione, post quam statim fructũ aliquem austerum dedit. Ac tandem cũ dormitura esset, trimestrem obtu lit theriacen, quæ ea ætate somnife- ra est, & fluxiones tum siccat, tum le uiter crassat, ob solum dũtaxat opiũ, quod procedente tẽpore veluti igna- uũ ad hęc redditur. Atq; ita arctatus est catarrhus, sed pulmo adhuc ob id quod affluxerat purgatione egebat: cæterum eam non exhibuit, secundo saltẽ die, sed muliere seruata in om- ni taciturnitate & quiete, tum artu- bus perfricatis vinctísq; iussit omnes partes præter caput adfricari: vespe- ri autem rursus theriacen paulo li- beralius quàm antea dormituræ de- dit. Tertio autem die mane mel co- ctum copiose propinauit, ac in quie- te seruauit: procedente vero eodem

die totũ corpus perfricuit, ptiſanęq; cremorem cum pane exiguo pro cibo ſumere iuſſit. Mox quarto die mane theriacen in ætate vigoris conſiſtẽtem cum melle copioſo dedit. Capiti vero medicamẽto eodem quod vehemẽter tum ſiccat, tum calfacit, impoſito, ac deinde ipſa lota nutritáq; modice, valentius iam pulmonẽ expurgare quinto die eſt aggreſſus, ac rurſus ex interuallo ad caput cerato quod thapſian recipit eſt vſus, totam vero corporis curã in geſtatione, frictione, ambulatione, lauandiq; abſtinentia, ac victu tum moderato, tum boni ſucci ad reficiendum direxit: ac ita mulier recte habuit, lactis opem minime requirens. Adoleſcenti vero cui non ex catarrho, ſed ſpiritus inſtrumẽtorum refrigerio tuſſis orta fuerat, cum & ipſe ſanguinẽ ad vncias circiter quatuor reijceret, venã illico ſcidit, ac bis eodẽ die ab eadẽ vena ſanguinẽ detraxit, deinde rurſũ poſtridie bis: ſed artuũ frictione, & vinctura priore die vſus, ad veſperam pharmacum dedit quod dia

Altera hiſtoria.

spermaton dicitur, somnū enim conciliat, dolorem sedat siccátque. Recipit autem seminum anisi, fœniculi, ameos, ana vnciā vnā, apij, alterci, & opij, ana drachmas tres: quibus tritis & quodam apto liquore exceptis formantur pastilli. Post alteram sanguinis detractionem secundo die pectori ceratū ex thapsia admouit, sed noctu abstulit, quòd calidius foret. Tertio die ad tres horas rursus eo imposito, hominem lauit. Cibauit autem tribus diebus similiter; primo quidē & secundo sorbitiunculis, tertio vero primum cremore ptisanæ, deinde pisce aliquo, qui & facilis cococtu esset, & simplici ratione præparatus, adiecto: dedit præterea ad secundum & tertium diem dia spermaton dormituro. Tum vero cum partes spiritui seruiētes naturali temperamento essent restitutæ, & totum corpus vacuatum, ac nulla phlegmones suspicio circa ruptum vas superesset; expurgare cœpit. Mox bibita theriaca iam ætatis maturæ, ad Tabias dimisit. Sic omnes qui se Galeno primo

Dia spermaton.

die curãdos permiserũt, curati sunt: qui vero postea, non omnes: sed aliquibus eorum insanabile vlcus permansit. verũ qui per omnia pręsidia rite trãsierunt vt siccaretur vlcus, ij tantum saltem lucrifecerunt, vt illud nec vltra progrederetur, nec maius fieret, sed siccatum ac callo duratum longiore vita frui hominem sineret.

De pulmonum vlcere ex vitiosi succi erosione.

II demum inter alios qui vlcus in pulmone habẽt insanabiles videntur, qui ex succi vitiosi erosione id possident: verum cum ex eo tussiret nonnulli, non tamen etiamnum sanguinem reijcerent, Galeni prouidentia prorsus sunt persanati. Oportet enim in principio nullius rei tam esse sollicitum, q̃ vt neq; tussiant, neq; ex capite aliquid in pulmones decũbat. Cauebitur autem triplici præsidio, purgatione primũ, secũdo medicamine quod dia spermaton dicitur, tertio ipsi capiti prouidendo. Quod purget, diuersas facultates habeat oportet. Cuius generis sũt pilulæ quæ

recipiunt aloes vnciam ſemis, agari-ci drachmas tres, ſcãmonij, colocyn-thidos, ana drachmã ſemis, bdellij, gummi arabici, ana ſcrupulos duos: & cum ſucco cydoniorum malaxan-tur in formã pilæ. Dia ſpermaton ſol-uetur vino auſtero, aut quouis alio li-quore ſimilis facultatis. Capiti vero prouidebitur cerati vſu quod fit ex thapſia ſeu aliquo cerebrũ tum ſic-cante, tum roborante. Atq; ita princi-pio hæc peragẽda ſunt, poſt vero re-ficiẽdus æger ſalubriter eſt cibis bo-ni ſucci, frictione, inambulatione, & balneo. Sed in primis notãdũ eſt eos eſſe qui maxime lac requirunt, ne-glectóq; eo, omnium maxime ſunt inſanabiles. Cæterum ſi parum ſan-guinis habẽt, ijs ad quẽdã probiorẽ ſuccum reductis, ſanguis mittendus erit, tum rurſus reficere: eoſdem de-nuo purgare, ac rurſus reficere, tan-démq; multis repetitis vicibus, id fa-ciundũ, donec æger ſit priſtinis viri-bus reſtitutus. At qui validi ſunt mul-tiq; ſanguinis, ijs ſtatim à principio eſt detrahendus. vnde fieri omni-

Pilulæ ad ões humores.

Iſtis lac neceſſarium eſt.

no non poteſt, vt hos affectus curent qui à ſanguinis miſſione abhorrent vti Eraſiſtratus, qui ideo id cenſuit, vt, ſanguis ſernaretur ad tempora phlegmonarum in viſceribus, ne ob eius inopiam ægrum nutrire cogamur, quod rurſu viſcera exacerbaret. Quare denuo illi longe errãt qui in iјs affectibus quibus ingens imminet periculum, à leuioribus præſidiјs eſſe incipiendũ, mox ſi nihil profecerint, aggrediẽnda eſſe maiora, aiunt. Nã in morbis in quibus mors non impẽdet, vera eſt opinio: at vbi moriẽdũ ægro prorſus eſt, ſi phthoe ſemel exceptus ſit, alieniſſimũ à ratione eſt, à minoribus inchoaſſe. Nã teſtante Hip. Extremis morbis extrema exquiſite remedia optia ſunt. Cum poſtremo iam abũde ſit prius monſtratum, eandem pene eſſe omnium vlceratarum partium curandarum methodum, diuerſam tamẽ indicationem, ob temperamentum, ſitum, figuram, compoſitionémque partis, ſupereſt vt breuiter ſummam huius quintæ perioches perſtringa-

Cur Eraſiſtratus ſãguinem nõ mittit.

mus. Primo enim caussę fluoris sanguinis ex venarum arteriarúmque vulneribus traditæ sunt. Sanguinem vero supprimi mōstrabatur eo auerso, atq; aliorsum conuerso: auertitur autem reuulsione, dum fluit, ad contraria: dum fluxit vero, deriuatione ad propinqua. Postea deligatura venas maiores vti & arterias sæpe excipiendas, nonnunquam emplastico medicamine obstruẽdas, vel deniq; eschara (vbi vrget necessitas) occludendas esse pariter ex Galeno monuimus. At quoniam hęc ipsa internis vasorum vlceribus applicari nō possunt, sanguinem esse comprimẽdum etiam vt in illis reuulsione, deriuatione, animi deliquio, cibo & potu qui vim emplasticam & refrigerātē habeant, ad hæc medicamentis adstringētibus est ostensum: non tamẽ omnino virtute similibus & vena & arteria (quæ aliquando in corpore non indurato coalescit) curantur. nam cum arteria temperamento sit sicciore, q̃ vena, desiderabit vtique quod valentius siccet. Exinde præci-

Enumeratio.

puam caussam cur ægre pulmonum vulnera curantur orationis sequela indicatum est esse repurgandæ saniei necessitatem. ea autem non expurgatur, nisi per tussim: quæ quum sit motus violentus, vulnus denuo irritatur exasperatúrq; . sæpenumero etiam interiorem trachiæ arteriæ mēbranam vlcerari intacto pulmone, sed qui facile postea afficeretur, cuiusdam iuuenis post pestilentiam sic laborantis exemplo, qui tādem ad Tabias vectus, est persanat⁹, indicauit Gal. vbi lactis varias species ad phthoe consumptos vtilis, meminit. qui postremo curationem reiecti sanguinis è pulmonibus ob defluxum catarrhi, ac spiritaliū instrumentorum refrigerationem tū demum ob vitiosi succi erosionem, amplissime tradidit.

Finis quintæ Perioches.

PERIOCHE SEXTI COMMENTARIJ Therapeutices.

Duriorũ corporum curationẽ hoc libro tradi, varias quoq; vulneris neruorum differentias esse.

SVperioribus progymnasmatis iam palam factum est vnicuiq; parti à suo continuo solutæ suam esse curandi rationem, quo fit vt nunc ad neruorum, ligamentorum, tum deniq; ossium omnium curationem opportunè flectatur oratio. nã ea processit methodo negotium, vt primùm de vulnere cutis, secundo carnis, tertio venarum, arteriarum, ac pulmonum, quartò autem, (semper ad profundiores filum ducendo minúsq; oculis expositas parteis) neruorum, posteà tendinum, ligamentorúmque, tum postremo ossium quæ sunt velut corporis basis aut fulcrũ, disceptaretur. Quare ordiendum est hoc libro à neruorum solutione, quę fit punctura, diuisione in lõgum, aut transuersim, contusionéq;. Punctura

Differentiæ vlceris neruorum.

autem fit aut ab aĩali, vti ſcorpio, aut ſtilo corporéve acuto. Sed quoniam hic cauſſæ nõ inquirũtur, ad curandã nerui pũcturam methodo peruenien dum eſt. Primo enim accedat quiſpi- am cui tantum puncta ſit cutis acu. ſi etenim is ſit cui vlcera facile coa- leſcunt, citra vllius medicaminis opẽ curabitur: ſin cui ægre ſanantur, pri mũ quidẽ dolebit, pòſt etiam tũ pul- ſu, tũ phlegmone infeſtabitur. vnde nobis eſt cognoſcẽda ęgri natura, quę ex notis boni maliq; ſucci habeť. Prę terea de ijs qui acris hebetiſq; ſunt ſenſus, tũ plenitudine grauatis, mo- dicéque ſe in ſuccis habentibus, non ignari quòd qui vel plethoricus eſt, vel vitioſis ſuccis premitur, vel acris eſt ſenſus, vel horũ quibuſdam, om- nibúſve premitur, phlegmone ten- tabitur: qui contrà eſt affectus, nihil mali ſentiet. atq; hæc proſpicientes non enæma medicamẽta ponemus, imò blandum & molle, & quod do- lorem ſedet. nam vbi magna eſt diui ſio, ſiccantibus remedijs labra vnien da ſunt: vbi autem acu ſtilóve facta

est solutio, duntaxat curãdum est ne phlegmone particula tentetur. Quare scire duntaxat quid faciundum sit nõ magna res est, qđ putabat Thessalus, sed quibus rationibus quidpiã fiat, id vero scire artificiũ est. Quippe, vt semel est dictũ, non sufficit intelligere vlcus indicare vnitionẽ, sed quibus præsidijs, & quo pacto ijs sit vtendum, est similiter cognoscendũ. nam quando dudum quispiam stilo in manu punctus foret, ita vt tota diuisa cute aliquid neruorum qui suberãt pungeretur, Thessalus principio emplastrum adposuit quo vti fuerat solitus in magnis vlceribus, vnde phlegmone oborta, ad cataplasma quod ex farina tritici cõponitur, nẽpe relaxãs & pus mouens, se cõtulit, atq; interim hominẽ tabefaciens intra septimum diem iugulauit. Quapropter alia est ineũda methodus ad curãdos neruos, sumpta indicatione ab eorum natura, & temperamento.

De nerui puncti curatione.

QVoniam neruus sensus acumine prẹditus dolorẽ, dum pũ-

gitur, facile recipit vehementē, quē sæpe phlegmone consequitur, oportet vti medicamento dolorem sedāte, & phlegmonen prohibēte. Quare cutis vulnus apertum inglutinatúmq; seruandum est, vt saniei, quæ hinc oritur, pateat exitus: totum autem corpus superuacuis humoribus est vacuandum, ac ne dolor quispiā partem vrgeat vulneratam, solicitudo est habenda. sunt autem medicamenta non pauca, quæ & dolorē arceant, & cutis oras diductas seruēt. Tutius fuerit autem cutim latius incidere, ac sanguinis missione corpus (si valeant vires) inanire, si autem cacochymia adest, eam ipsam purgare.

Vnde nerui substātia.

Cum autem nerui substantia ex refrigerata concretáq; humidiore materia cōdita sit, ab ijs quę simul calfaciunt & humectant, resoluitur ac putrescit. Quare aqua calida erit omnino neruis inimica, atq; pus mouētia omnia, oleum autem calēs vetus ac tenue amicum ad fotus. Pharmacū ergo ad eam puncturam esto tenue, modice calfaciēs, & admodū siccās,

citra tamen dolorem,nam id ſolum ex profundo ſaniē trahit. Vtilis primum erit terebinthina per ſe quidē in molliculis corporibus: cū euphorbio vero, in durioribus. ſagapenum etiam, propolis, opopanax, aſſa, ſulphur nōdum ignem expertum cum oleo, adhæc calx ſæpius per æſtatem in mari lota, ac alia plurima, quæ ex libris de ſimplicibus ſunt petēda, ijs neruorum pūcturis plurimum prodeſſe credūtur. Nam lixiuium quoq; ſtillatitiū ad id bene facit, quod probauit Galenus in iuuene quē Theſſalius quidā pene putrem effecerat cataplaſmatis maturantibus, cum ceperit lixiuium (nil enim aliud ad manum habuit) vnà in ipſo farinā hordeaceam ac eruinam concoquens, ac ita vulnus adfouens hominem ab ea putrefactione vindicauit. ex ijs autē quæ Galenus inuenit eſt id quod διὰ εὐφορβίου libro tertio de pharmacorū miſcella componit. quo certe ſi quis opportunè ad hos affectus vtatur, mirificā percipiet vtilitatē. quod ideo dico quia pro diuerſis corporū tem

Simplicia ijs affectibus accōmoda.

peramentis, eſt quantitas euphorbij augenda vel imminuenda, exemplo illius medici apud Gal. qui eo medicamine ad multos fuerat vſus cõmode, ſed adoleſcenti qui erat corpore magis indurato, non profuit, quoniã quantitati euphorbij detraxerat: qđ, poſteaquam adiunxiſſet ex eo modicum, probauit hominis ſanitas. Componitur autem hoc medicamentum eo tertio libro ex parte vna euphorbij, tribus propoleos, quatuor vero olei veteris. Sexto vero commentario methodi ex ceræ parte vna, terebinthinæ & picis vtriuſque vnius dimidium, euphorbij vero tantum miſcetur quãtum & corporis & partis temperies indicat. tamen hoc in loco Galenus miſcet partem duodecimã ad pondus ceræ. Verum hæc ad alios libros ſpectant: hic autem methodũ qua commode ijs ipſis vtamur, tradere propoſitum eſt.

Medicamentũ de euphorbio.

Nil magnum eſt quod medicamentũ præſtare poſſit, niſi eo dextre vtamur.

De neruo rectà cæſo, eiuſque curandi ratione.

NEruo per directũ vulneratо, ac præ nimia cutis adapertiõe, de-

nudato, nullum iam memoratorum medicaminũ quæ ex euphorbio, aut similiter acribus fiũt, admouebitur. nudatus enim non feret eorum vim, quemadmodum punctus, cum interposita cutis erat, pertulit. Siquidem neruo sic nudato omnis curatiõis cõsilium huc dirigendum est, vt minima cum rosione sicces. Possunt vero id præstare plane paucissima medicamẽta. Esto igitur hoc casu calx æstate aqua salubri frequenter lota ac cũ multo oleo soluta. Esto præterea põpholyx elotus, veluti est in eo pharmaco quod Galenus διὰ πομφόλυγος nominat, in quo elota plurima sunt. Quippe quæ ex metallis consistunt, ea lota omnia esse oportet, si modo citra rosionem vllam sint exiccatura: quinetiam ceram ac terebinthinam lotam esse oportet. nam omnia dum lauantur acrem & mordacẽ naturam magna ex parte in aquã quã abluũtur deponũt. Si vero robustus sit qui vulnus accepit, & cui corpus à superfluis humoribus sit vacuum, in hoc fas est etiam nonnullis valen

Ablutionis medicaminũ vsus.

tioribus remedijs vti. Quemadmodum est Galenus vsus in iuuene philosophiæ studioso qui erat bono corporis habitu, & in æstiuo sole perustus, acceperat autem vulnus in medio brachij manúsq; articulo, cui pastillos ex Polyida authore sapa solutos adposuit, quos tamen exceperant tepentes linamenta, quoniam in primis cauendum est, ne quid ex ijs frigidum neruos contingat, quãdoquidem pars ea sensilis est admodũ, cerebro continua, temperamentóq; frigida, vnde facile à frigido læditur, & suum affectum cerebro impertitur. Postquam vero admouit vlceri hoc medicamẽtum, quæ circa axillas, collum, capútq; eius erant, oleo calente assidue madefecit: detraxit tamen illi statim primo die sanguinem, atq; ita intra septimum diem est persanatus. Vlcus autem tale oleo perfundẽdum non est, præsertim cum illis pastillis curatio suscipitur, quibus omnino idipsum aduersatur: quod etiã vlcus sordidum reddit. Neque enim parum interest nudo ne neruo oleũ,

Historia.

Frigidũ neruis inimicum.

an per interpoſitã cutim admoueas. Abluẽda præterea eſt ſanies lana vino tepido intincta. quòd ſi omnia be ne ſuccedant, commode vulnus poteris vino dulci, non autem mordaci madefacere. eo autem pene ad cicatricem ducto, etiam vtile fuerit album, tenue, & quod græci oligophoron vocãt: aquam autem ſemper vitabis, ſicuti etiam cataplaſma relaxans. Sed quoniam aliquando ad manum non habemus Polyidæ trochiſcos, nobis erit vtendum medicamine quod διὰ χαλκίτεως Galenus vocat primo de componẽdis pharmacis libro, hũc in modũ deſcriptum: ℞. adipis veteris vncias duas ſemis, argenti ſpumæ, olei veteris, ana vncias tres, chalcitidis vncias quatuor: miſceantur, vt par eſt. Paſtilli autẽ Polyidæ ex quinto libro de eorũ quoq; pharmacorũ miſcella ſic habent: ℞. aluminis fiſſi drachmam vnam, thuris, myrrhæ, ana ſcrupulos quatuor, chalcanthi ſcrupulos duos, citinorũ, aloes, ana drachmas duas ſemis, fellis taurini vnciam ſemis: formentur

Abluẽda nerui ſanies.

Paſtilli Polyidæ.

trochisci, qui (dũ est opus) vino solvantur austero. Si vero horum copia non est, Andronis vel Pasionis, vel etiã Galeni pastillus erit sumendus. quorum etiam eodem quinto libro compositionem habes. Ista autẽ omnia vera methodus inuenit, quę postea longa experientia confirmauit.

De neruo transuersim cæso.

NEruus transuersim cæsus maius periculum conuulsionis adfert, phlegmone scilicet à fibris sectis ad insectas distributa, cæterum conuulsione ab insectis excitata. hoc autem vulnus haud aliter curãdum est, atq; alterũ. Sed detrahere sanguinem liberalius, ac minus nutrire decet: hominẽ etiam in quiete ac molli lectulo continere oportet, tum oleo vbertim in axillis, collo, tendinibus, ligamentis & capite vti: quòd si neruus cruris sit vulneratus, sicuti cũ in manu erat, alæ, ita in ijs bubones largo oleo sunt imbuendi: tum per totam spinam ad collum & caput ascendẽdum est.

De neruorum contusione.

NEruorum contusionem promiscuã habere generationẽ cum ecchymosi seu carnium contusione facile insinuat similis vtriusq; curatio. nã illic digerebamus & adstringebamus: hic vero etiam siccandum & adstringendum est, præsertim dũ cutis vnà cum neruo contusa exulceratáq; est. Si vero absq; cutis simili affectu est contusus, hunc oleo digerẽte sępissime perfundere oportet, ac totius corporis similem curã habere. Verũ hoc raro incidit, neruos autem cum cute sæpe contundi videm⁹, vnde Athletæ ipso vsu edocti habent cataplasma quod ex oxymelite & fabacea farina conficitur, quod plane salutare est medicamentum. At si dolor vnà cum contusione vexat, etiã picem liquidam immiscere ac bene concoquere, tum calens medicamentũ imponere oportet. Si magis ipsum siccans efficere voles, eruinam indes farinã: si vero magis siccãs desiderabis, Irim quoque immittes. Totius præterea cor-

poris cura his quoque cõmunis est. At si totus præcisus neruus sit, metus præterea nullus est: imbecilla tamen particula manebit. Curatio vero eius cõis est cũ ea, quæ est aliorũ vlcerũ, quámque vnã Thessali imitatores norũt. Ergo de neruis hęc abũde dicta sint, postea autẽ docebitur de phlegmonis quæ eis supueniũt.

De ligamentorum ac tendinum exulceratione.

Ligamenta valentissimorum remediorũ vim tolerare ideo creduntur, quòd & sensus expertia sint, & quòd ad cerebrũ non pertingant. Nerui enim omnes alij ex ipso cerebro ortum habent, alij spinali interueniente medulla. Tendones autem ex neruo ligamentóque substãtiam habent, vnde minus conuulsionẽ accersunt quàm nerui. Ligamẽta vero ex osse ortum habent, quorum rotũda quædam sunt, alia autem lata, vti sunt tendones. rotunda siquidẽ neruis similia sunt, præterea albedine, cauitatis & sanguinis priuatione, ac postremo in fibras diuisione distin-

gui omnino nõ possũt, sed sola duritate positúq; differunt. Si is itaq; syndesmus, id est ligamentũ, sit vulneratus qui ab osse ad os permeat, & maxime sine periculo est, & qui ferat quantũuis siccãtia medicamẽta: Sin is qui in musculũ se inserit, quãto est neruo & tẽdone minus periculo opportunus, tãto vtiq;, nisi rite curetur, reliquis syndesmis magis terrere debet. Quare qui partis naturam ignorãt, & ab ea indicationẽ sumẽdã esse negãt, nulla ratione methodo curare possunt. Nec in omnib⁹ supradictis duntaxat partib⁹ id rationabile est, verũ etiã in abdomine eiúsq; partibus de quib⁹ iam nobis dicẽdũ est.

De abdominis vulnere, ac curatione.

Abdominis compositio.

ABdomẽ, quod Græci epigastrion vocãt, cõponitur ex gemina cute, adiposa natura, neruea geminâq; tenuitate, quæ musculis antestat, quam nostri sectores laborem in ea peruestiganda fugitãtes ignorant. ijs autẽ succedunt musculi duo recti & in totum carnosi, hos statim

sequuntur obliqui quatuor, quos de-
mum excipiunt duo trāsuersi in ner
uosam finiētes mēbranā peritonæo
finitimam. Peritonæū autem abdo-
men non cōstituit, vti nec epiploon.
est enim illud, corpus simplex quod
circūponitur intestinis. Quare dum
vulnus est in medio abdomine, lōge
periculosius existit q̄ si fuerit ad la-
tus decliue, vbi est magis carnea na
tura ob musculos carnosos illinc or-
tos. duplici enim de caussa difficile
est vuln⁹ medij epigastrij, tum quòd
mēbranosum sit, & tenue, vnde vix
sutura administratur: tum quòd hac
parte maxime procidāt intestina, &
ægre inibi contineri queant, quādo-
quidem musculi recti secti sunt, illi
autē qui ad latus, constringūt. Quo
circa si magnū est vulnus, multa ex-
cidunt, quæ hac ratione vix reponū-
tur. Si autē paruum & angustū, rur-
sus periculosum est, quoniā nisi illi-
cò quod procidit intestinū in locum
suum reponas, inflatur, vnde per an-
gustū foramen immitti non potest.
Ad hoc itaq; vulnus curādum qua-

tuor ordine proponũtur. Primo in- testina in ſuum locũ recõdenda. Se- cundo vulnus ſuendum. Tertio me dicamen admouendum eſt. Quarto autẽ ne pars inſignis ſimul afficia- tur eſt prouidẽdũ. Primũ itaq; tra- ctandum in vlcere paruo. Nam ſi in- teſtinũ intumuit, aut erit tumor abi gendus, quod prꝍſtantius eſt, vel au- gendum vulnus. tumor facile cedet diſcuſſo ſpiritu, qui cauſſam habuit frigiditatem aeris, ergo remedium erit petendũ à calidis. Spõgia itaq; mollis calenti aqua madens, & ex- preſſa, inteſtino frequenter admota, aut quidpiam virib⁹ ſimile, vt vinũ auſterum cataplaſmatáq; varia, faci- le id prꝍſtabit. Si vero tumor hic nõ ceſſerit, vulnus leuiter inaugendum erit, ac tandem corpus in partẽ vul- neri cõtrariam inclinandũ. Secundũ quod proponebatur, ſutura fuerat: quꝍ non debet adminiſtrari duriori, ne lædat: aut molliori, ne rumpatur, funiculo aut filo. Incipiẽdúmq; à cu te abdominis ac ducẽda ac⁹ erit vſq; ad peritonꝍum, cuius pars contraria

Quatuor adcurãdũ abdomi- nis vuln⁹ neceſſa- ria. Primũ.

Secundũ

excipienda eſt, atq; redeundũ in partem abdominis oppoſitam, ſed ita vt ſimul peritonæi ſecti labrum alterum non omittas. Atq; ita faciendũ donec totum vuln⁹ aſſutum fuerit. Hic autem eſt modus ſuendi Galeni libro ſexto methodi, ſed quia frequẽter ſuo more id conſuunt noſtrę ætatis chirurgi, conſulerẽ, vt quod ſola contẽplatione de hac re traditur, actione & experientia cõprobaretur. quoniam facilius multo rem totam

Tertium. excipiemus. Tertiũ horum erat medicamentum quod adponi vulneribus abdominis debet: erit autem illud eiuſdẽ materiæ cũ ijs quæ enæma hoc eſt ſanguinem ſupprimẽtia

Quartũ. dicuntur. Quarta autem curationis pars nõ paulo ab alijs diſſidet. ſiquidem quod inter inguina axillâſque eſt, id totum molli lana ex oleo mediocriter calente imbuta circundare oportet. Satius item fuerit & ſi per clyſterem inteſtinis aliud ſimile infundas. Quòd ſi quid ipſorum inteſtinorum ſit vulneratũ, quæ extrinſecus fieri debẽt, õnia ſimiliter ſunt

peragenda. Cæterum vinum nigrũ, austerũ, tepénsq; inijciendum erit, si præsertim in totum sit perforatum. Crassa siquidem intestina facile, tenuia autem, vt est ieiunum, ægre curantur. Ventriculi etiam partes inferiores carnosæ facilius quàm gula aut stomachus propter medicamẽti appositionẽ coalescere possunt. Sed de ventriculi vulnerati aliorúmque exitialium vulnerũ sanatione Hipp. docuit abunde, quod ab ipso peti satius est, ac ita ad ossium vulnera oratio deflectetur, si prius adnotauerimus, epiploon quod peritonęi sequitur vulnus, dum nigricat, esse vinculis comprehendendum, ac quod denique alteratum est abscindẽdũ, quod fecit quoq; Gal. in quodã gladiatore vt refert libro de partiũ vsu quarto. Sed vinculi finis pẽdeat curabimus, quo nimirũ facile eum cũ ex vulnere suppurãte euometur recipiamus.

De fracturarũ ossis differentia, & curatione in vniuersum.

PRoximũ fuerit tradita carnis, venarum, arteriarum, pulmonis, ar

ticulorũ, neruorũ, ac postremo abdominis vitiorũ curãdorũ ratione, etiã de ossium solutione sermonem instituere. hæc fit autem aut à violentia quadam externa, aut interna erosione. vnde quintuplicem huius differẽtiã cõstituere possum⁹. quarũ prima est per transuersum, græci ῥαφανιδὸν vocant, quòd nõ secus ac raphanus, transuersim rumpatur. Secunda est per longitudinem, cum tamen sic affecti ossis partes omnino separãtur. Tertia est oblonga ossis fissura quasi assulæ modo facta, quæ schidacidon græcis dicitur. Quarta est contusio facta à corpore duro obtusóq;. Quĩta denique est caries quæ fit ex vitio humoris sensim depopulantis humiditatem eam quæ conglutinat partes solidas. ac ab ijs differẽtijs, quidpiam desumi ad curationem singularum potest, vt seorsum monstrabitur. Si prius intellexeris, quoniã fracti ossis soluta partiũ vnitas est, vtiq; finẽ esse in curatione primũ, vnitionem. Sed quia præ siccitate in adultis siccísq; animalibus nunquã per

Ossis fracti differẽtia quĩtuplex.

se, in puerulis autem ac molliculis aliquãdo id fieri potest, restat vt interuentu cuiusdam substantiæ glutinetur, quę si nec ipsa comparabilis aduertitur, insanabile esse vitium dixeris. verum interuenit ea substantia quoniam omnis particula sibi familiare trahit alimẽtum, os autẽ crassius ac terrenũ magis q̃ aliud quoduis alimentum sugit, vnde quod ex hoc ipso redũdat, & in labris fracturæ concrescit, suoipsius interuẽtu ossis extrema glutinat, éstque illud qđ adnascitur, callus, qui mediocritatẽ in crassitie, & tenuitate, duritie etiã ac mollitie seruet oportet, ad quod tunc victus ratio tibi proponitur: denuo obseruandũ est tempus quo hic ipse callus sit ꝓgignẽdus. Age igitur ac videamus quæ agẽda sunt in vnaquaqꝫ fracturæ differẽtia, vt curationem tãdẽ assequamur, ac ita primo de ea quã raphanidon vocãt, dicaꝑ.

De curatione ossis fracti secundum transuersum.

QVoniam in hac fracti ossis differentia partes sic à se dissi-

dent vt è directo non iaceãt: clarum est primum id esse agẽdum, vt in di rectum agantur. directum autem di cimus quum in figuram pristinã na turalémque reducuntur. nam ea ma xime tuta est ne dimoueatur post re ductionem, ac ab omni dolore longe aliena, vt est monstratũ libris de mu sculorum motu. brachij siquidem figura esto angulosa, vt cruris, quæ paulominus porrecta sit. Cæterum non modo ad vitandum dolorẽ, na turalis habitus cuiuis instrumẽto est vtilis: verumetiam consuetudo quo que conducere nonnihil videtur: atq; hæc quidem figuræ, in qua membrũ custodire conueniat, inueniendæ est ratio, in partiúmq; reductione ad se quam antistasin vocant: cum præter ea in naturalem situm aptantur fra cti ossis particulæ, quæ dum adducũ tur motu cõtrario, periculum est ne quæ earum extantiæ frangantur. nõ enim veluti ĩ serra dissectis, lęuis est vtriusq; partis finis. Nam si illæ fran gantur, non poterunt adamussim se cum coaptari fracti ossis fines, tum

Figura recta membrorum quæ est.

quia forsan fragmēta inter partes v-
niendas interciderint, tum etiam ꝙ
quidpiam ossium forte extra cecide
rit, vnde spatia maneant inania, in
quę sanies collecta, atque tēpore pu-
trescens, totum pariter membrum
secum corrūpet. Atque ob hæc qui-
dem quę dissident ossa è directo ad-
mota esse oportet. quod cōmode cer
te fieri nequit, nisi retrorsum prius
retracta fuerint. id autem fit mani-
bus, dum paruum est membrum: sin
maius, aut vinculis īpositis, aut vnà
cum ijs etiā alijs instrumētis. postea
vero vbi iam nullus supersit metus
ne se in adducendo tangant, tum in-
directum opponere, vinculáque rela-
xare, ac musculis ipsis diductorū in
idem commissionem permittere: in-
terim vero teipsum quoque manibꝰ
subseruire, ac sicubi aliquid paulum
subsultet, corrigere atq; formare ex- De ossiū deliga-tura.
pedit. His rite peractis omni studio
laborandum est, vt os immotū per-
maneat, atq; ita tuta deligatura opꝰ
erit, non quidem laxa, ne satis arctet
ossis fracti partes: non rursum vehe-

mentiori, ne dolorē excitet: sed quæ vtrunque excessum declinet. Fascia vtiq; latissima commodior erit mēbris æqualis crassitudinis. Verum cum id non sit sæpius, id quod deest nobis de fasciarum latitudine, circuituum numero pensabimus. Ea autē deligatura ducenda est ab ipsa ossis fractura versus sanam partem, cum si aliter feceris, succum ab alijs partibus in affectum traduces: ac ita demum phlegmone excitabitur, quę in hac re in primis erat arcenda, quanuis difficile id sit quū ob ipsam vulsionem dum in directum ossa agerētur, tum maxime ex eo quòd causæ quæ fracturam faciunt, plerumque circundatam ossibus carnem constypādo cōtundēdóq; prius lędūt, vnde ingentes sequantur phlegmonę. Deligaturæ autem ratio sumitur ex ipsa rei natura. quū enim duæ sint partes quæ & à particula laborante recipere aliquid, & ad eam trāsmittere possint, vtiq; superiacētes ob multitudinem & magnitudinem ad ambo sunt magis habiles, extremæ ve-

ro ob contrarias cõditiones exigu-um aliquid recipere vel transmitte-re possunt. Quare Hippocrates a-pte duas adiecit ligaturas, priorem quidem vt dum sursum duceretur si-mul & quod in parte cõtineretur, il-luc expelleret, tum quod fluxurum erat arceret. Alteram vero deorsum dispensari voluit, eaque quoque gemina vtilitate: sed quum non satis stabili-ant ossis fracturã, iussit splenia adij-ci ad tutelam. ne autem phlegmone oriatur, medicamento quopiam ex ijs quæ phlegmonen prohibent, vti censet, quale nimirum est Ceratum humidum. Atq; ad primum quidem opus quod in fracturis ossium mo-liendum est, nullum est iam reliquũ præceptum.

Hip. de ligatura.

Quo tempore soluenda ossium deligatura.

QVoniam multa quæ ad ossium solutam vnionẽ curandam fa-ciũt tradita iam sunt, nunc videndũ est de soluendi ligamenti tẽpore, vi-ctúsq; ratione. Hippocra. enim sentẽ-tia tertio die solui iubet, ne dolor pru

ritúsve, creetur, ac eius quod iam fracturæ infixum est perspiratio prohibeatur. Cuius occasione non modo noxius prurit⁹ quibusdã accidit, sed etiam ex saniei acrimonia cutẽ erosam exulcerari: ea autem eluenda erit aqua temperate calida. Septima item die à prima idẽ facies. quo certe tempore apparebunt omnia, si nil impediat, phlegmone libera, ac gracilia. Quare tũc licebit & ferulas circumponere, & soluere ex maiori interuallo: quandoquidem callus felicius ita prouenerit, ad cuius generationem cogi concrescerẽque aliquid proprij ossium alimenti oportet. qđ certe à fracturę labris eluendum nõ est, nec foras euocãdum, quod tamẽ assidua faceret solutio. At vero nec tanto interuallo intermittendum, vt nescias quemadmodum fractura ꝓcedat. dum enim sicciora redduntur ossa, callus gigni non potest. quibus tertio aut quarto quoqꝫ die modice aquam calidã infundamus, hãc metam perfusionis habentes, cum carnes in rubrum tumorẽ attolluntur.

atq; in iis quidem priusquam subsidere incipiant, desistendum est, contrà quàm vbi quidpiam digerere volumus. Si vero abundantior humiditas impediat calli generationem, ibi hanc siccare conuenienti deligatura & aquæ perfusione, quæ omnino vel minima sit, vel plurima conabimur. Quippe minima pri⁹ desistit quàm aliquid confluat, ac humores qui in superficie inhærent digerit, quiq; in alto sunt modice liquat. Expedit autem ita solui & liquari ea quæ per ligaturam tandē sunt expellenda. Plurima autē pfusio digerit plus quàm trahit, atq; ita commodat superfluæ humiditati. In ea enī deligatura quę exprimit, debent fasciarum fines nō multum adstringi: in ea vero quę ad renutriendum est comparata, nō minus arctandi sunt, sed laxiores sunto circunductus omnes. quibus sic rite peractis superest vt de vniuersa victus ratione eorum pręcipiatur. ad quod intelligendum est in hac ossiū curatione duo esse tempora diligenter obseruanda: alterum quo phleg-

mone timetur, alterum vbi nullus iã eſt ipſi phlegmonę locus, quo maxime tẽpore callum gigni expedit. Priori enim tẽpore eadem pene eſt inſtituenda victus ratio, quæ phlegmonis aliarum partium comparata eſt: nempe tenuis, ac nonnunquã vacuatione, purgationéq; eſt opus, ſed de ijs alio loco dicetur. Verum quo tẽpore gignitur callus, eſt opus boni ſucci alimentis multúmq; nutriẽtibus, ex quibus prouenire ſolet non ſolum bonus, ſed tenax: ex quali certe callũ fieri expedit: ex ſeroſo nãq; & tenui gigni prorſus nequit, ex craſſo vero, ſed fragili pinguedinisque experti gigni quidem nõ ſegniter poterit. Cæterum tempore ſicceſcẽs friabilior atq; ita fractioni obnoxius reddetur. Quantitas autem calli ĩ magnitudine eſto mediocris. nam qui iuſto minor eſt, oſſa parum reddet tuta: qui maior eſt, dolorem muſculis inuehet. vtrunq; autem vitium corrigitur perfuſionis quantitate, & qualitate, ciborum etiam, ac medicamentorũ quę extrinſecus ad-

De vict⁹ ratione.

ponuntur facultate. auget ſiquidem callum aut diminuit perfuſio & victus ratio, quæ nunc exponebatur. medicamẽtum autẽ emplaſticũ auget, digerens vero excedentem imminuit. Mediocrem autem conſeruat medicamentũ quod cruẽtis vulneribus parari ſolet, nam modice ſiccat, ac coagulari concreſcereq; mediocriter callum facit. Ac de vulneratis trãſuerſim neruis hactenus. De longis vero reliqua omnia ad eundem modum ſe habẽt. Cæterum cõprimendæ hæ magis in ipſo fracturæ loco ſunt, tum quod receſſit retrudendũ introrſus eſt, quare ad tertiam ſpeciem oſſis fracti eſt accedendum.

De oſſium contuſione.

QVæ multifariam cõfracta ſunt oſſa potiſſimum cum vlcere, vt plerunque fieri ſolet, ijs ſplenium circundandũ aſciæ ſeu dolabræ modo incuruum Hip. præcepit: illudq; vino imbutũ tum nigro, tum auſtero, æſtate potiſſimum. Hoc enim magis quàm reliqua oſſium vitia, quòd

maius sit, siccari postulat. quare medicamẽtis est vtendum non quidem extremè, sed vt sunt enæma, siccantibus. quibus certe dum principio quis vtitur, liquida insit forma vt imbui facile possint expedit. Ac reliqua illius præcepta sunt peragẽda. adhæc aliquando nudatũ os serra desecari, aliquãdo fragmenta eximi arte, vel natura expelli est opus: sed nunc de deligaturis dicatur, hæ enim pro diuersis partibus variam quoq; habẽt rationem, veluti instrumenta quoq; quibus Hip. suis tẽporibus est vsus. is enim ad firmãdum os cruris post deligaturam vtiles putauit solenas. Sunt autem thecæ reliquiarũ ligneæ quibus os aliquod circumligatũ cõprehenditur, tutúmq; ad motiones redditur: alterum est instrumentum quod glossocomion vocant, quo maxime est vtendũ quando callus progignitur. est autem in summo latius. declinans ad angustiam in linguæ similitudinem, vnde nomen traductũ est. Verum omnia connumerasse instrumenta quibus est vsus Hip. faci-

le est: sed ea in vsum cõmuniter praxim ducentium adferre pene est impossibile. sua enim est cuiq; genti instrumentorum ratio, vt mox ostendetur vbi de capitis fractura docebitur. Id tamen omnibus est obseruandum, vt eligatur ad id instrumẽtum & quod ossa firmet, & quod illis doloris nihil inuehat.

De capitis vulnerum differentijs ac curatione.

CErebri tegmẽ, quod κράνιον græcis, caluaria latinis dicitur, ideo compositum est ex multis ossibus, vt si quando percussum rumpatur, ne in id totum fracturæ eius procedãt, sed detineãtur illis in partibus & cessent, in quibus ipsum quoq; os percussum cessat. vnde fiũt variæ fracturarum capitis species, quas Paulus Ægineta libro sexto in senarium reduxit numerũ, quę ita habẽt: Rhogme, id est fissio: eccope, hoc est excisio: ecpiesma, quod est effractio: engisoma, id est corporum ob vehemẽtem ictum appropinquatio: camarosis, hoc est testudinatio. Sexto thla-

De partium vsu, nono.

Fracturarum caluariæ differentiæ.

ſis infantibus quæ proprie fractura non eſt, ſed oſſis caluariæ introrſum impulſio, vnde manet cõcauitas, quẽ admodum fit in plumbo aut ſtagno. Atq; ita in totum ſex ſunt illæ ſpe-cies, quibus ſingulis eſt ſua curandi propria ratio, quãquã omnibus vna communis ſit methodus, quod intel ligetur ex curatione vulneris quod rhogme dicitur. poteſt enim primã duntaxat oſſis laminã pertigiſſe, vel etiam alterã vſq; ad duram menyn-gem. in vtroq; autem ſic curatio ad-miniſtrabitur: deraſo ſuper vulnus capite duas lineas iuxta rectos angu los mutuo ſe ſecãtes quæ literæ X fi guram accipiãt, incides (harum au-tem alteram eſſe conuenit quæ iam præceſſit) deinde quatuor angulos in vertice excorians, vt os læſum nudũ appareat (ſanguis autem ſi fluat lina mento ex poſca aut ſimili quopiã ar cebitur) poſtridie ſi nullum vetuerit ſymptoma, perforare os vitiatũ te-rebella (quã galli trepennam vocãt) conaberis, aut ſcalpello primo latiſ-ſimo, (ſi vulnus ad ſecundam dunta

Paulus li bro ſexto

xat laminam penetrarit) secũdo angustiore, quod est excisũ leuabitur. Post hæc tum protinus, tum ad finẽ siccis erit vtendũ medicamẽtis, quæ ob id ipsum quod ijs affectibus succurrant cephalica, id est, capitalia vocantur. ea componũtur ex iri, erui farina, manna thuris, aristolochia, panaces radicis cortice: ac in summa omnibus quæ citra erosionẽ siccãt, quorũ materiã liber de simplicibus medicamẽtis, compositionem vero liber de pharmacorũ mixtura abunde suppeditat, maxime secũdus commentarius, vbi promiscuè & catagmatica, id est ossibus medẽtia, ac cephalica describuntur. Cephalica medicamenta.

De curatione fracturarum & cõtusionum cranij, ac quibus in ea ipsa instrumentis vtendum.

HActenus de ijs quæ communia sunt ad carnem producendam in fracturis omnibus: nunc vero de simplicibus fracturis ad cerebri vsq; membranas peruenientib⁹ agendũ, quibus scalpellum angustũ adhibendum est: sin cum contusione aliqua,

id quod est cõtusum terebellis quas
Trepennas prius vocauimus excidi
debet. verum nõ nisi periculose ad-
mouentur. Nam duram membranã
quæ ossi substernitur sæpe violant,
capútq; quatiũt, quod omnino dum
curatur quietem postulat. Horũ au-
tem terebellorum descriptionem &
formã nouerũt etiam vulgares chi-
rurgi, at cycliscos Hippo. nostra ętas
non dignouit, omnes enim pro ar-
bitrio varijs in curanda ossium tum
cranij tum aliarum partium contu-
sione vtuntur instrumentis, quorum
optimam partem ad viuum depictã
inuenias in illo recenti Guidone chi
rurgo. quare illuc te conferas licet,
quoniam hic curationem non autẽ
instrumentũ tractare expedit. Quod
enim vehementer cõfractum est, id
totũ auferri debet: si vero ab eo fra-
gmenta quædam longius excurrãt,
hæc ad finẽ persequi non licet: quo-
niam nihil ex eo noxæ sequetur, si
reliqua omnia rite sint peracta. Cæ-
terum in alijs partium fracturis ad
arcendas phlegmonas humorísq; af-

fluxum deligaturis esse vtendũ iam est monstratũ. Sed eas capiti adaptare omnino nequeas, quare nec quod affluit reprimi, nec quod iã est collectũ exprimi valet: sine quib⁹ præsidijs nec reliquorum ossium vllum seruari potest. Quomodo ergo ne hæc in capite accidant, quod ligaturas nõ admittit, & sanies prona fertur, sic vt super mẽbranam duram vniuersa coaceruetur inhibendũ est, paucis aduerte. Aliquid fracturæ primũ nudabis quò saniem detergere & abluere à membrana liceat, cũ vero nihil amplius de phlegmone timebitur, omniáq; sicca ad vnguem erũt, carnem producere ac locum cicatrice obducere conueniet. Verum, vt in reliquis alijs, ad curationem haud mediocriter partis essentia, situs, & vicinia cranij cõferũt, quod hoc vno Galeni exemplo facile intelligas, os enim sincipitis fractum hac ratione curauit, supernũ os excidit, quanquã id quod est à lateribus prius eximẽdum cogitasset quo sanies promptius deflueret: sed

Curatur cranium fractum.

cum meminiſſet hoc ſpiſſum ac ita durum vt petroſum appelletur non poſſe abſcindi, niſi valenter concuſſo cerebro, atq; eo ipſo in illa parte exciſo, cerebrum quod illi fortiter innititur promineret, tum præterea quòd illic ſit neruorũ non leuis quidem momenti exortus, in ſupernis vero capitis partibus ne minimus quidem oriatur, præſtare ſaniẽ quæ aliter ſiccari poſſit in membranam prolabi, quàm cerebrum tam valenter cõcuti putauit. Poſtq̃ vero eſt os perforatũ, omni curato diligentia vt pharmaca vehementiſſime ſiccantia parti admoueantur. quorũ copiã habes non modicã in libris de eorũ miſcella, ac Scribonio Largo, vnde vnũ in tertiã periochẽ traduximus, quo Meges Sydonius chirurgus feliciter vtebatur: ea enim nudatæ membranæ, & ſuper hanc oxymeli imponũtur, nam ſibi cum ſit eſſentiam fortita ſiccam hæc particula, profecto nihil miri eſt ſi antequã phlegmone occupetur, valenter ſiccantibus gaudeat medicamẽtis. Cæterum hic ſi-

nienda est de morbi cõmunis curatione disceptatio, sequenti vero perioche similarem affectũ vnius ventriculi exemplo ex Gale. sanabimus.

Finis sextæ Perioches.

PERIOCHE SEPTIMI COMmentarij Therapeutices Galeni.

Omnis intemperiei curãdæ ratio generatim mẽbratímq́ traditur.

QVemadmodum communis morbus seu vnitatis diuortium methodo curetur, superiora ꝓgymnasmata satisfecerint. Quare proximũ est vt ratio curandæ omnis intemperiei totũ corpus, vel quãuis particulam occupantis, pari quoq́ studio tradatur. Atq́ vt omnia clare dignoscantur, initium à ventriculo sicco desumetur, tandémq́ ad reliquas intemperaturas tum puras, tum ex humoris vitio cõstantes deducetur oratio: quę rursus in suas differentias distri Propositum.

butæ, ſuã quæq; curãdi rationem ha-

Partium ſimilariũ morbus intemperies.

bent. Hic autem morbus, vt antea dictum erat, eſt partium ſimilarium. Nam cũ earum eſſentia ex calidi, frigidi, humidi, ſiccíq; ſymmetria pſiſtat, neceſſum eſt morbum earũdem eſſe ametriam, ſeu incõcinnam temperiem. vnde & hic denuo elemẽtorum cognitio nobis eſt poſtulanda, alioqui rationem curandi nullatenus aſſequi poſſis. Quis enim, rogo, ventriculi aliarúmve partium imbecillitatẽ ſanabit, huius vero cauſſam, inſignem intemperaturam perſpectam non habuerit? Rationalium ſiquidẽ nonnulli, dum imbecillitatem partiũ ad actiones naturales obeundas di-

Quid neceſſariũ ad curandi methodum.

cunt, illius autem occaſionẽ non depromũt, nil certe vltrà quàm ſentiat plebeius quidam, mihi ſapere videntur, cum eius cauſſam protinus non ſubijciunt. quare ſi quis recta via curare velit, debet actionũ tum naturalium, tum contra naturam cauſſas inueſtigare. Nam cũ pro naturæ modo particula eſt affecta, ad propriam actionẽ non eſt imbecilla, ſed quan-

do accessit omnino aliqua præter naturam occasio, quæ eam dissoluit, deiecitque, & mortuæ similem effecit: quãdoquidem non nouit qui de primis communibúsque elementis exactam cognitionem non habuerit, de quibus hæc sequens tota disputatio absoluetur. ea autem singulis partibus homogeneĩs vim quãdam ingenerant, vnde actiones propriç omnibus prodeunt, quæ tantum inter sese dissident, quantum vna particula ab alijs quæ eas ædunt operationes est diuersa. Differt autem particula quæq; ab alijs eò quòd calidior, frigidior, humidior, sicciórve sit, aut quòd denique binis horum quibuslibet sit affecta. Qui enim actionem vult tueri, hic earum temperiem custodiat oportet: custodit autem si id quod excedit ad calidum, frigidum, humidum, aut siccum, vel ad horum composita reducens, temperet contrarijs, quoad particulam in symmetriam & naturalem habitum vindicauerit. Ac ita genere quidem omnis ægritudinis quæ in similaribus par-

Vnde naturales facultates.

Custodiẽdæ actionis ratio.

tibus cõſiſtit, iam dicta mihi meden di methodus videtur. Quæ vero mẽ bratim agitur medicatio, ex his duo- bus conficitur: nempe materiei co- pia, & huius congruo vſu. Medica- mentorum autem copiam tum ex li bro de ſimplicibus, tum de pharma- corum miſcella haurias licebit. eo- rum autem vſum opportunũ, ac ea quæ ad victus rationẽ pertinẽt, hinc ſumes. Sed & quemadmodum mor- bi cuiuſq; intemperiem agnoſcere li cebit, ex libris de tẽperaturis, ſecun- do ex libris de locorum affectorum notitia, deinde ex libro, maxime ſe- cundo, qui ars medica inſcribitur, in- telliges. quæ velut manu ad omnia morborum genera curanda, quem- cunq;, vel etiam hebetem, deducere poſſunt, maxime autem eum qui ſit exercitatę rationis. Verum quoniam (vt inquit Plato) quæ ſcribuntur, ali- quando in manus eorum deueniunt, qui laborum fugitãtes, exempla de- ſiderãt, fore conſultũ viſum eſt quæ- piam particulariũ eſſe adijcienda, ex quibus protinus clare id quod proxi

Ex quib⁹ locis intẽ periei q̃ti tas digno ſci poteſt

me dictum est intelligatur. Initium (vt ante proposuimus) à ventriculo facientes imbecillo, cui empiricus, ac qui nulla ratione curat, citra vllam affectuum distinctionē extrinsecus, intrinsecúsve amara adstringentiáq; medicamēta parat. vinum siquidem austerum, absynthiū, mali etiam cotonei succum, aliáq; huiusmodi deuorāda propinat. Extrinsecus autem vētriculum perfundit ex oleo de absynthio, mastichino, melino, tum solis, tum cera permixtis: quibus aliquando succedūt epithimata ex multis aromatis composita, vti est spica nardi, calamus aromaticus, iris, ladanum, malabathri foliū, styrax, bdellium, opobalsamū, xylobalsamum, reliquúsq; aromatū catalogus. Quòd si horum nihil profecisse viderit empiricus, tandem commune omnium remedium, quibus nocet imbecillitas, adhibet, nempe rubrificationē, quæ vel per thapsian, vel sinapi, vel tale aliquid excitatur. Deinde ad vsum calidarum aquarū ablegare solet. Quippe vltra hæc empirici nihil

Empiricorū modus curādi omnē ventriculi imbecillitatem.

nouerunt. Verum dogmatici ratione intellegũt octo esse imbecilli vẽtriculi curationes. Nam sæpenumero vno die, vel potius hora, frigida potione quosdam leuari vẽtriculo æstuantes videmus, quibus aquam niue refrigeratam, alióſq; ad eũdem modum refrigeratos cibos, vti est aphrogala, (lactis florem spumámve Romani vocant) fructus etiam temperatura frigidos opportune dabimus, scopum vnum nobis proponentes, nempe refrigerium. Si autem calfaciendum fuerit, vinum vetus, cibósque omnes natura calidos, ac deniq; frictiones instituemus. Quemadmodũ humidam temperiem corrigemus, cibis desiccãtibus, potione modica, adstringentiúmq; omnium vsu. Siccam vero curabimus contraria omnino ratione, ei quam paulo antè tradidimus, vbi de empiricorum curandi via dicebatur. Veluti Galenus fecerat in eo quem isti susceperant curandum. quam rem, vt omnia cunctis clarius innotescant seorsum adijciemus.

Æstuãtis vẽtris refrigeratio.

Refrigerati.

Humẽtis

Arefacti.

De ſicca ventriculi intemperię ob conſumptionē roridæ ſubſtãtię.

IAm expedit particularis materiæ comparandæ meditationes, per octo curandi indicationes cõſcribere, à ventriculo ſicco vt ante propoſitū eſt, exordientes. facillime enim curãtur alterationes tum frigidæ, tum calidæ, propterea quòd maxime actiuis qualitatibus corrigũtur: Ægrius autem quæ in humido ſiccóque habentur, quòd imbecillis & (vt ſic dicam) magis materialibus qualitatibus curatio eorum perficitur, potiſſimúmq; cum humectandum eſſe requiritur. Calor enim & frigus pene tempore pari reparatur, tamen ſecuritas impar eſt. nam frigiditas non leuem quidē noxam inuehit circundatis partibus, ſi plane validæ non ſint. Tempus vero in ſicca intemperie multo amplius requiritur quam in reliquis. Quippe quod ſenium in ſanis eſt, id ſicca intemperies eſt in ægris: quare etiam inſanabilis eſt, ſi prorſum conſummata fuerit, veluti quãdo partium ſimilariū ſolida ſub-

Quatuor ſiccitatis ſpecies.

ſtantia reddita eſt ſiccior. Altera vero ſiccitas fit cũ liquata eſt ea quę ex concretione cõſtat ſubſtantia, vti eſt adeps & caro. Tertia autem fit ſiccitas, conſumpto humido (vt vocant) influente quod vice roris inanibus ſpatiolis ad ſolidorum corporũ nutritionem continetur. Quarta poſtremo ab his ſiccitas eſt, ex penuria ſanguinis in venulis partium contenti, quæ cibo & potu facile curatur. omnium autẽ ægerrime ea ſanatur, qua partium ſolidarum eſt conſumptum nutrimentũ, veluti ea quæ eſt ex conſumptione humidi cõnectentis ſimilaria membra (quemadmodum iam eſt dictũ) nulla ratione reparari, prorogari autẽ ab induſtrio medico poteſt. Omnibus autem iĵs ſiccitatibus auſterorum vſus eſt maxime contrarius, ſiue potiones, ſiue ea cibi ſint, ſiue etiam medicamenta: quippe quæ abſumãt quod ſupereſt humoris naturalis, partim ebibentia, partim exprimentia, partim ad proximas partes extrudentia. Quare ad ſtrictos meatus dilatabis ſi feliciter curare ve

lis, ac quod in vicinas particulas eſt compulſum, reuelles. Præterea ſingulas partium ſimilarium humiditate propria humectantis nutrimēti ope replebis: veluti Galenus fecit in quodam iuuene cuius venter ac denique totum corpus pene iam tabuerat ex ſiccitate, cum in ea cōtrarietate quæ in calido & frigido conſiſtit nullam euidenter vincentem haberet intemperiem, quare omne dirigendum fuerat conſiliũ in hac curatione ad humectandum, cum ea eſſet cōſumpta torida humiditas qua ſolidas partes nutriri paulo ante dictũ eſt, quæ rurſum vt omnium ſiccitatum ægerrime curatur, ita quoq; Galenus in hac ſananda maximam adiunxit diligentiam, quam huc quoque ex ſeptimo Therapeutices libro tranſueximus.

Hiſtoria de ventriculi penè tabefacti curatione.

IVuenis hic macilentus factus, ob imbecillem ventris coctionem, nō medicamētorum (hic enim erat affectus ex humidi partes nutrientis conſumptione, quare potius victus

ratio fuit exactior exhibenda) sed rerum nõ naturalium ad humectationem deflectẽtium ope, præsertim cibo, potúq; mediocri, etiam exercitio vt est lauacrum, aut modica frictio: præterea somno, & quiete tum animi, tum corporis, aëris etiam temperati præparatione feliciter est sanatus. quę omnia seorsim, ex Galeno tamen, ordine adponemus, exordium à balneo facientes. Domum itaq; parauit balneo proximam, à qua mane super linteis in balneũ aquæ dulcis omninóque tepentis intulit, longissiméque in eo versari permisit, vt ita sensim corrugata ex siccitate mẽbra dilaxarentur, quod temperatæ aquę qualitas prębstat. calidior autem seu frigidior, tum stipat, tũ corij modo cutem rugosam facit. Simul tamen adnotandum est ægros sic affectos bis aut ter in die, interiectis circitèr quatuor horis æquinoctialib⁹, in lauacrum, aut pluries, si ij balneatione delectẽtur, esse deducẽdos. Ab hoc autem balneo statim asininum lac exhibuit, quòd inter omnia la-

Balneum paratur.

Lac propinatur.

ctis genera ob substãtiæ tenuitatem & citissime nutriat, & minime in vẽtre & præcordijs immoretur. illud autem vti & aliud quoduis recẽs ex animali emulsum ægro est propinãdum: imò si fieri posset, aut ab asina, aut mulieris papilla, ipsi tabescẽti sugendum cõsulit Galenus. Nam, seminis genitalis ritu, celerrime dũ propria exilijt vasa mutari solet. Aduertendum quoq; in primis est vt & substantia & qualitate sit optimum: substantia quidem sit non aquosum nimis, veluti nec butyrosum, sed quo ad fieri poterit similes habeto parteis. Qualitate vero tum dulcissimũ, tum vt par est lacti, splendẽs, ac denique nullam externam qualitatem odore gustúve præ se ferat. Quę omnia certe ita fient, si animal idoneis alatur nutrimentis, quæ perfecte ab eo concoquantur, sit'que ætatis florentis, exercitationibúsque admoueatur mediocribus, & pullus, si quẽ lactat, auferatur. verum hęc non in totum recensebo, quandoquidem tũ ijs nostris sæculis ea non addatur

Lac optimum describitur.

in nutriendis animalibus diligentia, tum fuſius ex eo Galeni loco repe-tere liceat. Satis eſt enim intellexiſ-ſe his affectibus lac optimum, quale nũc deſcriptum eſt, eſſe ex vſu, tum per ſe, tum cui mellis tepidi pauxil-lulum permiſcetur, quod rurſum & ſubſtantia & qualitate ſit optimum, ſibi vndique cohærens, & ſimilare, digito etiam glutinis more, dum eleuatur, pertinaciter firmatum, in terram non defluat, ac tandem nec craſſius, nam ita ceroſum, nec liqui-dius, quoniam excrementoſum fo-ret: verum vtriuſque exceſſus mediũ ſit oportet. Colore præterea eſto fla-uo, odore ſuaui, non thymum re-dolens aut quiduis aliud externum, guſtu poſtremo acuto iucundóque. ac ita ſane lacti permixtum in vẽtri culo, ipſum glaciari non ſinet, quin-imo diſtributionem per corpus quo quouerſus accelerabit. Verum hacte nus eſt hic æger lotus, ac lacte mel-léque altus. quare ſupereſt vt hic ad ſecũdam vſque lauationem quieſcat. quem modice pinguitérque fricuit

Mellis natura exponitur.

Galenus, lacte tamen quod sumpse- rat ad vnguem prius confecto, quod ex ructu, ventrísq; mole facile conij- citur. Ac ita post quanq; lauationē hominem sic affectum vngere anteq̃ se vestiat par est: id enim ad renutri tionem, vt frictio, conducit non mo dicum. nam siue cuilibet parti cor- poris temperatam infundas aquam calidā, siue frices, siue laues, siue ali- ter quomodocunq; calfacias, primū quidem attollitur corpus, vt inquit quoque Hippoc. mox gracile effici- tur. Ideóq; vbi carne implere quod- libet corpus studem⁹, id eatenus no bis est calfaciendum, quandiu intu- mescat. Vbi vero digerere & vacua- re cupimus, eatenus continuandum est, dū quod intumuit subsidat. qua- re desistendum omnino est, dum in- tumuit, nam carne implēdi præceps est occasio. quare diligenter attendē dum est, ne clam te elabatur propo- situs temporis articulus, nēpe quod postquam leuiter intumuerit, proti- nus digeritur. Siue igitur hominem extreme gracilem perfrices, suffici-

Æger pin gui fri- ctiōe tra- ctatur.

at tibi rubor: siue laues, satis esto mediocris calor. Si quid enim vltra pergas, resolues hominem magis quàm nutries. Vngendum vero esse corpus statim à balneo duplici ratione certum est, tum videlicet ne plus iusto digeratur, sed exigua obstruantur cutis spiracula: tum vt oleũ suo lentore aduersus incõmodum quod ab aere ambiente cõtingit, veluti sit munimentum. Ac ita demum vsque ad secundam lauationem tractãdus est æger: post quam rursus lac, si non auersetur, exhibendum: sin aliter, ptisanam diligẽter coctam, aut alicam frumentaceámve potionem ptisanę ritu paratã dabimus. Hinc vbi quieuerit, ad tertiam lauationem est reducendus æger, aut illico ad cœnam. Cuius edulia, potum ac etiam ordinem & quantitatem adscribere ordinatim superest.

De cibo ac potu huius ægrotãtis.

Panis purus subigitur.

PAnem illi parauit purum, qualis ille est qui Romanis siligineus, sincerissimúsque, Gręcis semidalites vocatur, sed in furno, non clibano co

ctum. nam hic parte intima magis, ille vero minus coquẽdo desiccatur, vt primo de alimentis monstratum est. salis autẽ ac fermẽti habuit quod satis esset. Cibum vero instituit co-ctu facilẽ, nutriẽtem, minimẽq; glutinosum crassúmve generantem excrementũ. vti gallinacei sunt testes & alæ, passerculi montani, perdices, coturnices, turdi, ac denique omnes quæ molli sunt carne, & mõtanæ potius quàm palustres auiculæ. nam & facile coquuntur, & nutriunt, at non tam copiose atque suilla caro. quæ enim plurimũ nutriunt, crassæ sunt substantiæ, ac ita ægrius coquuntur, calorémque naturalem (qui est omnium facultatum author pręcipuus) requirũt ampliorem. Quare cum is in tali affectu penè elanguescat, non valenter (quãuis id foret optimum) sed parce ac facile nutrientia dabuntur. Quale est vinum album, tenue, & aquosum, gręci oligophorum vocant, cæterũ leuiter adstringẽs, quod huic ariditati percommodũ est. nam ab aquę imbecillitate recessit, & vini

Cibi præ scribũtur

Vinum datur.

vinosi (vires enim imbecillas ferit) noxam nondum habet. Ætate præterea nõ sit nouellum, quippe ita & aquosius & excrementosum magis est quàm huic proposito sit ex vsu. Antiquius vero vt vinosius ita calidius quàm par sit. quare illud æuo medium esto. verum si tale non habueris, ad has metas respiciens, etiã mixturã eius cũ aqua temperabis, quę tamẽ omni vitio careat quod ex eius frigiditate pendet, cuius quidẽ culpa & diutiss. in præcordijs moratur, flatus gignit & fluctuationes, robur ventriculi dissoluit, nec multum alimento per corpus digerendo cõducit. Quib⁹ certe noxis vina prius memorata õnino aduersantur. Præcordia inflata subsidere faciunt, coctionẽ caloris mediocritate iuuant, anadosin accelerant, boni præterea sunt succi, & qui facile⁹ misceãtur cũ ijs quæ in venis & ventriculo continentur, vires quoque organorũ adaugent, & sudores, vrinas, excremẽta deniq; omnia promouent. Modus autẽ is potionis esto, vt nec in vẽtri-

Aquarũ vitia vini que commoda exponũtur.

culo innatet, nec fluctuationis vllius sensum inuehat, ciborũ vero, vt ne quidẽ grauent ipsum, quod difficile quidem fit ob imbecillitatẽ. Ab hoc etiam tensio inflatióq; præcordiorũ summopere vitãdæ sunt. quòd si tale quidpiã primo die inciderit, pro magnitudine symptomatis ad portionem detrahendũ postridie de cibo est: sin rite omnia cedant, paululum adijciendum. veluti & in tertio die vel demere vel adijcere cõueniet, cum præcedente conferentibus. Atq; ita semper omnia pro renutriendi reficiendíque ratione, frictionibus, gestationib9, inambulationib9, prout corporis incrementũ procedit administrare, et iã reliqua omnia ꝑ refectoria vocata ratione adijcientibus. Quæ sane genere à ꝓposita ratione nõ differt. Sed in eo ꝙ sub illa perinde totum corpus est affectum, sicuti sub hac ventriculus. Accidit autem sic affici corpus in diuturnis potissimũ affectibus: vtiq; cum coniuncta cuiusque partis humiditas ex qua primum nutritur, propemodũ

omnis exhausta iam est: quę etiamsi omnino absũpta fuerit, regigni modo dicta victus ratione potest, nõ autem ipsa solidarũ partiũ siccitas, vti nec senium corrigitur. Sed nunc par est adscribere qua sit in hoc ægroto conualescente cibandi ratione vsus. Primo enim frequentius & frictionibus & gestationib[9] quam antè, eũ solicitauit, ciborum quoq; & qualitatem & quantitatẽ inauxit, ac ita sensim ad solitam victus rationem reduxit. bis tamen eũ aut pluries enutriuit in die. Sed prius obseruato tẽporis spatio, vt secũda cibatio priorem exacte coctã exciperet. id autẽ valentiori alimento contingere non potest. Quare primo loco leue sumendum non ijs modo, verũ etiam sanis est: quo videlicet & coquatur celerrime, & excrementum eius discedat, & vacuus purúsq; ventriculus secundum excipiat. Atq; idcirco cœna q̃ prandium liberalior esto, tũ quia somnus & quies, quæ calorẽ reuocant ad præcordia, tum etiam tẽpus longius naturalem huius admi-

Conualescẽtis huius ratio victus.

Leue nutrimentũ prius ingerendũ.

nistrationē excipit. Sed id nostris seculis minime obseruatur, quoniā intemperantiores simus ac ita crudos humores multos colligam⁹, qui noctu quiescēdo cōcoqui postulant. vnde fit vt medici frequēter multis cœnam frugaliorem instituāt, ne vel in plethoram vel cacochymiā flectantur. Ad hæc maxime notandū est ne ita conualescētes illico post cœnam bibant, nisi adeo vehementer sitiant vt aliunde ariditatis periculum nos solicitet ad eis tantillū vini exhibēdum, donec soletur desideriū. Postea vero q̄ concoxerint nutrimentū, abunde bibere sunt sinendi. mane vero si deiecerit aluus, & modice ambulauerit, erit modice quoq; fricandus æger, dum corp⁹ incaleat, mox gestationibus, deinde rursum lauandus, tum etiam fricandus, donec interim vespera aduehatur, quādo pariter erit nutriendus. Verū quia non vna omnibus victus species in consuetudine est, quoniā alij bis, alij frequentius, aut rarius in die edere solent, præterea hi calidum, illi frigi-

Statim à cœna nō esse bibēdum.

Ad consueta ægrũ reducito.

dum bibere assueuerunt:ratione indicante ad ea reducendus est æger, quibus insueuit. Sed de cõsuetudine seorsum dicetur, quæ ad totius victus medicamentorúmq; rationem non parum conducit. Naturarũ postremo inspiciendæ sunt proprietates, à quibus minime recedendũ est. sunt etenim qui si ob aliquam caussam paulo longius noctu vigilarint, omnino postea dormire non possint, quare à potu illi sunt arcendi, vti nõnulli quotidie vidẽtur qui hunc cibum aut potum auersentur, quocirca ad eos non sunt inuitandi. sunt præterea qui carnem bubulam facile benéque concoquant, cum alijs tamen foret coquendo rebellis. Non solum autem ex ijs materiæ quæ ad victũ pertinet suggeritur copia, sed etiam ex regione & tempore. ac ita demum tradita est methodo vẽtriculi sicci curatio, quæ similis genere erit, corde, aut iecinore, vel denique toto corpore sic affecto: à quib9 tandem marasmus exoritur, tanto quidẽ prõptius, q̃to aliqua earũ partiũ

ſic affectarũ maioris eſt præſtantiæ.

De mediocri frigore ſiccitati inſigni adiuncto.

IAm nunc proponitur nobis compoſita intemperies modice calida, & ſicca inſigniter, quare curationis geminus eſt ſcopus: humectãdũ enĩ eſt in hac & modice calfaciendum. Vnde & aduertendum diligẽter eſt, ne humido medicamento iunct⁹ ſit inſignis calor, qui humorẽ inſumat. Noxæ autem quantitas in vtraque intemperie ad materię inuentionem viam monſtrare poteſt: maximę enĩ ſiccitatis curatio id ipſum nũc ante demonſtrauit. Modicæ vero, adeo ſcrupuloſa victus ratione non indiget, quãdoquidẽ nec vires ipſis funditus ſunt collapſæ. Ideo enim difficilis eſt validæ ſiccitatis curatio, quoniam corpus reficiendum imbecillius factum ſit: quod certe dum modice arefactum eſt, nec vires cõciderunt, vberius cibari poſtulat. in hac ergo cõſtitutione ſimiliter ac prius dictũ eſt, humectabimus. Sed calfacientis materiæ admiſcendũ iam di-

ctis tantum erit, quantum particula ad frigidius inclinauit. Mel itaque vberius, vinũ quoque calidius & antiquius esto, omnia etiam ad caliditatem tum potentialem, tum actualem magis deflectãt oportet. Extrinsecus subinde paranda sunt aut linimẽta, aut cerata ex melino, mastichino, nardinóve oleo, ne siccus remaneat vẽter. cui optime fecerit superposita purpura, tũ quòd modice calfaciat, tum adstringat. quæ enim calidiora sunt relaxant nimis, halitúq; digerunt: quæ vero valenter adstringũt, præter modum ea siccant & frigida sunt, nẽpe acerba. Quare quod ex ambobus mixtum est, minus quidem calfacit quàm alterũ. Siccat vero non minus quàm vtrunque. Vbi enim vtraque tum siccitas, tum frigiditas partẽ quandam valenter occupauit, admodũ difficilis oritur curandi ratio, cum is affectus nil aliud pene sit quàm quoddam velut tabidum senium. incipiẽdum autem est ab ijs quæ prius dicta sunt, mastichinum scilicet aut nardinũ oleum pur

pura exceptũ ad vẽtriculum fundendo. Mel quoq; vberius despumatum tamen cum lacte dandum: quod certe huic affectui veluti senibus aptissimũ est nutrimẽtum. Vinum etiam antiquum eligẽdum: eóq; antiquius quo maior fuerit frigiditas. optimũ sane medicamentũ foret quo vtũtur picatores ad renutritionẽ. Sed eatenus quidẽ calfaciẽdum est, donec vẽtriculi calor non quidẽ qualitate, sed substãtia inaugescat, quod efficit quidem hæc victus ratio, maxime autem vinum. ex ijs postremo quæ foris applicantur optimũ quidem foret admotum puellum aut catulum, quidpiã mve tale optime temperatũ, proxime vẽtri & abdomini adhærere, vt eius caloris vicinia inaugeretur vis coctrix ventriculi. fomenta tamen calida sicca præsertim, calida etiam humidáque insigniter vitabis. ac ita de hac intemperaturarum cõiugatione hactenus sit satis.

De intemperie calida & sicca.

ADiungatur ab hinc siccitati superiori calor non admodũ mul-

tus qui ventriculum affligat. Cuius ſane ſic compoſitæ intemperiei curatio quantum ad ſiccitatem, ea erit paulo ante ſcripta, mel tamen aut vinoſum vinum nõ dabitur, ſed multum aquoſum, idq; actu frigidum, vti & omnia fontanæ aquæ frigus quod verno tempore ei ineſt proxime imitentur, dum æſtas viget oportet: alioqui ſub lactis tepore cibos dediſſe licet. Ventriculum oleo melino, crudóve inungemus, ac deniq; tum frigida, tum humida ei parabimus: illud nobis perſuadentes, eiuſmodi affectum ad portionem eſſe febrem. Quinimo multi hallucinantur in hoc ipſo, putantes eos ſic affectos febrire, quòd plurima ſimul febrium adhęreant ſymptomata, tum ſitis vehemens, tum inappetentia, ac deniq; alia non pauca, quæ etiã Galeni pręceptorib⁹ (vti refert) aliquando impoſuerunt. Cuius certe affectionis exemplũ hoc vnum ſequitur ex Galeno. Natus quidã quadraginta annos medio corporis habitu, ſiti grauiter vexabatur, frigidam impenſe

Hiſtoria

flagitans, calidam auersabatur. Ventriculus quæ sumpsisset tribus aut quatuor horis pòst euomebat, simul cum potione calidæ aquæ, ac ita gracilis factus in periculum iam inclinabat, dum aquam frigidam super cibū simul liberaliter hauriens omnino sitire destitit, paulopòst vero plurimum eius vomitione reiecit. Abhinc toto corpore horruit, reliquum autem diem noctémque totā in quiete cooperimentis se fouens (quæ prius ob ardorem abijciebat) transegit. Excreuitque semel ad mediam noctem mediocriter cocta. Itaque nec siticulosus præterea fuit. Postero autē die & coloratior & firmior multo est effectus. Lauatus quoq; citra offensam, ac modice cibatus, tum melius quàm ante venter concoxit. Sed querebatur q̄ ægre transglutiret, idque visum est Galeno gulam fuisse refrigeratam ob immodicum algentis aquę haustum, quam nemo sanare potuit. Quare vitio in vitium mutato, tempore interposito mortuus est. Verum doctior fa-

ctus Galenus huius miseri periculo, alium sanauit pariter affectum, primũ refrigerantia medicamenta præcordijs imponendo, vnde protinus ventriculi æstus est remissus. cæterũ homo suspiranti similiter respirabat, quare transuersum septum illi esse refrigeratum contemplatus, abiectis refrigeratorijs oleo calido locum fouit, donec motum naturalem reciperet. Ac postea hominem sensim refrigerando impositis à septo vmbilicum versus frigidis medicamentis persanauit, cibum tamẽ potionemque omnem sub aquæ fontanæ frigiditate exhibuit.

Alterum exẽplũ.

De intẽperie insigniter calida, cum mediocri aut humiditate, aut siccitate.

INtemperies multum calida modice vero humida minori periculo calidæ potione curabitur: quãdo minime ex ea lædentur partes vicinæ, vt quæ mediocriter se habeant. nam in siccis affectibus, & quæ proxima sunt, & totum denique corpus gracilius redditur. Aliquãdo etiam adeo

vehemens ardor ventrẽ occupat, vt ad cor ipſum perueniat: vnde homo febricitat, periculoſius quidem quoniam humidæ & ſiccæ intemperiei ventris febris acceſſit. Quę vero inſignis humiditas ſiue cũ calore aut frigore, ſiue ſola affligit, omnium facilime curatur: nẽpe ea ratione qua prius dictum eſt empiricos non hãc modo verum etiam reliquas intemperies curare. Cibi autem qui citra valentem calorem aut frigus ſiccãt, potionis etiam conſuetæ parcitas ſolam humiditatem profligant. eã rurſum caliditati coniunctam, adſtringentium & ciborũ & potionũ vſus: ſint autẽ & hi auſteri ſine calfactione. Eius autem quæ frigiditati copulata eſt, præſidia omnia acria ſunto, quibus acerba (citra tamen valens frigus) admiſceantur. Potio etiã exigua vini admodum calentis veteriſque dabitur. Reliqua deniq; omnia quæ foris adplicari ſolent ad eorum quæ comeſta & bibita ſunt, portionẽ inſtitui debere notũ eſt. At quoniam de ijs omnibus abunde tractatũ

Aucta hũmiditas cum alia oppoſitione.

Humida, ac frigida.

est, in summam repetenda veniunt quæ hactenus tradita sunt. calida igitur intemperies refrigeranda est, frigida vero calfaciēda, humida siccanda, & sicca humectāda. Quòd si per copulationem aliquam duarum qualitatum intemperies consistat, miscēda amborum cōsilia sunt. Scire præterea licet harum omnium pessimā esse inter simplices siccam, in compositis siccam & frigidam. Atq; hoc loco finē habeant ventris intemperies, quas scilicet nullus extrinsecus alit superuacuus humor.

De intemperie ventris ex humoris vitio.

VEntriculum esse multorum succorum ibidem generatorū vel aliunde influentium sentinam ac receptaculum, tum ratio, tum experiētia confirmat, vnde contingit ipsum frequenter varie intemperatura diuexari. Succus enī ille copia aut qualitate vitiosus in ipso ventris spatio continetur, aut tunicis eiusdem infarcitur: ille vomitione, aut alui deiectione purgatur: hic vero attenua-

ri ſi craſſus, detergeri vero ſi viſco-
ſus eſt prius debet, ac ita in ſpatium
inane, liqueſcens deuolutus, eodem
quo prius modo euacuabit. qui pro-
fecto pro ſua diſpoſitiōe variam, vt
ante dictū eſt, inuehit intemperiem,
nūc quidem calidā aut frigidā, nunc
etiam humidā vel ſiccam, aut deniq;
ex ijs coniugium. Sin aliunde conflu
it humor, diligenter diſcerni debet.
Nam curatio cauſa cognita facile ſe
ſe inſinuat. Sępenumero quidē mon
ſtratum eſt humorem redūdantem
ex alijs in alias partes defluere, veluti
ex capite, aut iocinore, aliiſque parti
bus in ventriculum. In qua profecto
affectione curandū eſt id quod trāſ-
mittit: de ventre autē tantiſper eſſe
ſolicitum oportet ne prompte reci-
piat quæ confluunt. quod fiet & ad-
ſtringentibus, vti fieri ſolet in prin-
cipio omnium fluxuū, & ijs quæ tē-
periei mediocritatem reſtituere, aut
conſeruare poſſunt. Ergo primum
eſt videndum in omni deſtillatione
an corpus ſit cacochymum, an ple-
thoricum. illud erit primū pharma-

Quid in omni de- ſtillatiōe primo eſt curandū.

co ecphractico, seu purgante curandum: hoc vero vel sanguinis missione, vel quodam ex ijs quæ ei virtute respondent, vacuandum, tum postea parti præsidia admouenda. Sed contingit aliquando neutrum eorum esse causam, aut fomitem defluxionis. quare aliò est confugiendum, videndúmque an aliqua consueta excretio vt sunt hæmorrhois, menstruus fluxus, & alia plurima suppressa fuerit: aut morbus aliquis qui certis periodis diuexabat, non eo tempore conturbarit: aut denique mutilum sit aliquod membrum quod iam non nutritur, vnde humor nunc in ventriculum relabitur. Quibus sic consideratis si quidem ex minus momentaneis translatio fit, rursus ad ea reuelles: sin ex ijs quæ maioris sunt momēti, ambobus simul consules, submouens eum semper affectū qui fluxionem excitet. fiet id si omnes corporis partes ad bonam habitudinē reducamus, ac omnes naturales expulsiones fluxiles semper reddamus. Porrò quum plures iam dies delata

Quæ fluxionē irritare possunt.

in ventrē ſuperflua ſunt, ſolet is contrahere ſibi aliquid vitij ex eorum malitia. quocirca opportune potionem ex abſynthio, ſeu ſyrupum ex eo qui nūc paſſim inuenitur, propinabimus, ac legitima victus ratione & frictione inunctionéq; ventrē in priſtinam naturam vindicabimus. Intemperies vero quæ ex noxiæ fluxionis temperamento contracta eſt, ſi paucos durauit dies, facile: ſi multos, ægre contrarijs profligabitur.

De ſucco vitioſo tunicis ventriculi inhærente, cui bene facit hiera picra.

DVm ventris tunicę vitioſo ſucco madent, curatio petitur ab ijs quæ non feruntur profundius in corpus, ne ſimul rapiāt illum in corporis habitum. de qua re abunde dictum eſt Gale. libro quarto de tuenda bona valetudine: quale eſt quod picram vocāt. hæc enim vētrem inteſtináque roborat. humorem adſtringendo expungit, ſuccos in capite ac primis venis contentos ob aromata quę immixta ſunt, attenuat flu

Hierę picræ commoditas.

xiléſque reddit, ac denique omnibus affectibus ex pituitoſo humore oris ita generoſe auxiliatur, vt multos prima ſtatim potione ſanarit. cuius hæc eſt deſcriptio, quam vbique inuenias. ℞. cinamomi optimi, xylobalſami, aſari, ſpicæ nardi, croci, maſtiches gummoſę, ana drachmas ſex, aloes lotæ, ſi minus vis ſoluere, plus autem roborare, drachmas centum: tundantur in puluerem, ac cum ſucco abſynthij formentur, ſi lubet, catapotia, aut melle excipiatur deſpumato, vel deniq; puluis in phiala cõſeruetur. quibus certe modis etiam ad ventriculi, capitis, inteſtinorúmque affectus præparatam comperies. Verum quibus lenta ventriculo infigit pituita, ijs prius diſſecãtia exhibenda ſunt, ac deinde purgantia, aut ad vomẽdum, ſi ad id proni ſint, per radiculam ex oxymelite (quod nunc habetur) ſcillitico excitabuntur. ſin nec lẽtus humor ſit, nec craſſus, vtique abunde ſit à ptiſanæ ſolius cremore, item à mulſa vomuiſſe. Idoneum vero eſt & ſi mulſa in qua ſit

incoctum absynthium bibatur. Nam id quoque tenues succos in ore ventriculi cōtentos commode deorsum pellit: crassos autem ventri affigit, cū detergendi vim non habeat, quæ adeo sit æstimanda.

Sexto de tuenda sanitate.

Triplicem inesse ventriculo affectum, qui simul aliquando, vel seorsim exagitat, curandiq; huius methodum cæteris implexibus morborum esse cōmunē.

TRiplicem affectum ventrem simul, ac vnumquenq; seorsim occupare posse nemo ambigit, ita vt & ipsæ partes solidæ laborent, & mali succi ita ventri sint infixi, vt elui facile nequeāt, & alij in interno eius sinu contineātur. Potest nanq; interim primus affectus esse cum secūdo, vti hic cum tertio: ac tertius cum primo. sæpe etiam, vt dictum est, omnes simul. Pro quibus repetenda sunt animo quæ tradita erant anteà de complexu affectuum in vlceribus. Verū quoniam sese offert tam opportuna occasio, breuiter methodum ad omnem affectuum complexionem cum

Galeno hic rursum tractabimus, ad quam aduertas oportet, quoniã post hac eam repetituri non sumus. Primum igitur in huiusmodi complexu affectuum non modo ventris, sed omnium aliarum partium cõsideranda tria proponuntur: primo affectus vnde maxime periculum imminet ægro: Secundo quid ex ijs habet rationem caussæ, & quid affectus: Tertio quæ sanari ante alia possint, vel nõ possint. vbi enim à quoquam affectuũ periculũ ægro instat, ad id quod vrget primum curatio est dirigẽda. Id autem quod habet rationem caussæ auferendũ prius est, secundo morbus curabitur. cum præterea vnus absque alio curari non potest, ordo est obseruandus. Dum autem quod magis vrget curatur, affectus magnitudo perpendenda est: quæ ex actionis partisq; læsæ præstantia, propria affectuũ essẽtia, facultate deniq; corpus nostrum moderante deprehenditur. Caussa vero dum adimitur, cõsiderãdum est quid eorum quæ coniũcta sunt augere, gigneréve reliqua

Methodꝰ ad omnẽ affectuũ complexionem.

Affectuũ magnitudo vnde deprehẽditur.

poteſt: quæ præterea gignuntur, vel incrementum hinc accipiunt. In ordine vero obſeruandum quid à quo, quid cum quo, ac quid poſt quid curari poſſit. Quæ omnia facile ob oculos ponuntur exemplo præſenti de vẽtriculo. à quo non diſcedẽtes, rurſum exordiamur. Fingatur itaque ex cerebro in ventrem defluere ſuperfluum quẽdam humorem frigidum, ex quo contracta iam ſit intemperies frigida in eo, ad hæc malum iam ſuccum inania ſpatiola partium ſimilariũ ventris occupauiſſe. In hoc exemplo triplex eſt affectus: defluxio, mali ſucci partibus ſimilaribus infarctio, ac ventriculi intemperies: quæ dignitate reliquos duos affectus vincit. nam temperies etiam dignitate maior eſt, quoniã ab ea omnis actio pendet. contrariorum autem eadem eſt diſciplina. Eſto præterea ſi libet horum trium maximus affectus, ſuccus imbibitus, roſioniſq; ſenſum faciat, vnde animi defectus multúſque ſudor accerſatur, ita videlicet vt quatenus ſupra vires eſt, reliquis ſit ma

ior. Constat igitur primo adhiben-dam esse curam, vt ei quod vires resoluit, nempe animi deliquio, succurratur. Vbi autem id mediocriter se habuerit, ac neque vires amplius labent, neque plurimum vitiosi succi in ventre sit: tum nimirum ad caussam accedes: qua permanēte, affectus ex ea natus perfecte sanari non potest. Ordo autē curationis modo cōtraria inter se remedia, vt in vlcere cui adiungitur phlegmone indicat: modo alteri affectui nihil nocet, sicut in proposito nunc casu. nam educto humore qui innatat in sinu ventris, alimentū illius qui est imbibitus tunicis eius plane adimit. Æque & qui cerebrū ita firmat ne quam sensibilem redundantiam creet, is profecto veluti fontem fluxionis in ventrem destruit: atq; ita curationis ordo cū ordine caussarū in ijs consentit, quāquam in alijs non raro dissentit. Verum quod ex affectus magnitudine spectatur, id distingui prout dictum est debebit, ac primùm quidem medicamentorū materiam ei quod ma

Methodica propositio.

ximum eſt accõmodabis, deinde pro cauſſarum ordine toto curabis. Porrò ſi copia notabilis excremẽtorum nec in capacitate, nec in tunicis eius fuerit, ſed neq; roſio quæ viribus officiat: tum omnium primũ ſanãdum ipſum cerebrum eſt: ab hoc ſinus ipſe ventris vacuandus extergendúſq; eſt, poſtea ipſæ tunicæ expurgandæ, poſtremo intemperiei contrarijs eſt medendum. Ac ita demum non modo ventris, ſed reliquarum quoque partium intemperaturas ſeu puras, ſeu quas alit ſuperfluus humor perſanabis: euariata tamen ratione medendi pro diuerſis partium, natura, officio, figura, ſitu & ſenſus acrimonia vel hebetudine. de quibus pro vniuerſali curãdi methodo pauca ſunt ex Galeno adiungenda.

De indicationibus, ac primo à partis temperatura.

A Partis temperie ſeu natura indicatio ita ſumi debet, vt quæ particula calidior eſt natura, ſi frigore laboret, hæc & liberalius & diutius calfieri poſtulat. Quippe eatenus

Theorema.

redeat ad eorum naturam vnumquodque necesse est, quatenus à natura recessit:ac veluti quadã via retroferatur quę in diuersum agat ei, quæ facta in ipso est transmutationi. Contrà vero,pars natura calidior,si calido morbo vexetur, exigua breuisve tẽporis refrigeratione æget,sicut frigidior calfactione. Vnde etiã minus periclitantur quicunq; cognato naturæ suæ morbo laborãt.ac quẽadmodum de calidis frigidisq; temperaturis proponitur mihi,de reliquis tum simplicibus tum compositis intelligendum postulo.

A partis officio.

A Particula rursum cuius officiũ est vel commune & vtile omnibus corporis partibus,aut paucis q; busdam, aut denique sibi vni, dum simplici,id est sine humoris vitio,intẽperie laborat,nihil indicatur. Nã, vt reliquę partes,cõtrarijs curari postulat:in ijs autẽ quas fouet superuacuus humor, si particula sibi soli inseruiat, audacter vacues licet, prout affect⁹ suadebit,sed tamẽ virtuti at-

tentus. Sin necessarium sit eius opus omnib⁹ animalis partib⁹, vti vẽtris & iocinoris, non leuis habẽda est solicitudo de robore virium, ne hanc magna semel vacuatione vsus dissoluas. Quare bene admonetur libello artis paruæ capite xcv. admiscendũ semper esse medicamentis soluentibus & laxantibus aliquid ex ijs quæ robur partis publicum munus habentis conseruant. Commune siquidem est opus cordis, arteriarum, venarum, thoracis, vtriusque vesicæ, ac vasorum ab vtraque procedentium. Cerebri vero, cum sani sumus, ad voluntarias actiones est opus musculis quibus eas obimus: nõ autẽ, dum ægrotamus, nisi ijs quibus delegatum est respirationis officium. Reliquorum vero organorum actio certe non est, ministerium vero ad vitam est necessarium, veluti pulmonis, asperæ arteriæ, & faucium. Quare ex eiusmodi partibus q̃primum vacuare redundantiam licet, prout volueris. Ex ventre autem & iocinore cautio est adhibenda, ne

Partium actiones cõparantur.

quid virtuti noceas. Præterea cum non eadem sit actionum dignitas omnibus partibus, ad portionem dignitatis actionum, etiam cuiusque partis robori prospiciendum est. Maxima enim est cordis officij dignitas, atque omnibus ægrotãtibus maxime necessaria. Cerebri ad vitã par est momentum, non tamen par robur eius in ægrotis requiritur: cũ satis abunde fuerit, si tantum eius seruatum sit, quo respirationis munus sit obeundum. At iocinoris vẽtriculique opus omnibus particulis est pernecessarium: nõ tamen adeo saltem perpetuam necessitatem habet, sicuti ipsius cordis. Quocirca intelligens partium omniũ tum actiones tum vsus, quatenus cuiusq; robur custodiri oporteat facile inueniet. Ad eundem vero modum partium robur quæ alijs sunt facultatũ authores, seruare decet, pro facultatis eorum vsus portione: quo videlicet illis animalis partibus subministrent. Cerebrum enim neruis ac musculis, cor arterijs, iecur venis

ſuppeditat virtutem.

A partis figura, ſitu, ac ſenſus diſpoſitione.

PArtis figuram veluti ſitum non parum iuuare ad cognoſcēdum quonam modo ſint vacuanda excremēta docuit ſuperior diſputatio, vbi de pulmonis affectibus agebatur. vēter enim, vt paulo ante dictū eſt, vomitu aut deiectione inanitur, inteſtina ſola alui deiectione, ſicut iocinoris caua. Eius vero gibba, renes, & veſica, dum multo viſcoſóque humore inundant. per aluū: dum pauco, per vrinales meatus expurgantur: Cerebrum vero per palatum, nares, & aures: Pectus & pulmones per trachiam arteriam. A ſitu præterea índicatio tum ad ſolidorum intemperiem, tum ſuccorum vitium non leuis erit. Nam intemperies ſummę cutis facilius q̄ intimarum partium diſcutitur: quoniā ſi eò deferenda præſidiorum vis eſt, profecto, ne in via elangueſcat, augenda erit. Quid poſtremo partium ſenſus hebes vel acutus indicet, omnib⁹ palā eſt. pars enim,

vt eſt oculus, neruus, aut præputiũ, facile dolore qui à violento medicamine infertur reſoluitur. quare tam inſigni ſenſu prẹditas particulas nec confertim, nec ſemel vacuare tentabis, ſed tuto potius in tempore. At vbi ſenſus eſt obtuſior, in ijs etiam celeriter obire quod iuſtum eſt licet ſemel vſis remedio idoneo. Verum omnia huc trãſferre nõ ſuſcepimus, quin potius breui compendio artis medicæ ſtudioſis quos potuimus ex libris Therapeutices perſtringere ſtuduimus. Reliquos non licuit, quòd in illis ea ſit vſus ſcribendi via ac methodo Galenus, vt nihil quod ſententiam non mutilet amputari poſſit.

FINIS SEPTIMAE PERIOCHES.

INDEX BREVIS EORVM quæ hoc libello continentur.

PRIMAE PERIOCHES.

SECVNDAE PERIOCHES.

TERTIAE PERIOCHES.

QVARTAE PERIOCHES.

QVINTAE PERIOCHES.

SEXTAE PERIOCHES.

SEPTIMAE PERIOCHES.

INDICIS FINIS.